

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

M. Tvllivs Cicero Mannvcciorvm Commentariis Illvstratvs antiquaeq. lectioni restitutus

Continens De Philosophia Volumen Secundum

Cicero, Marcus Tullius

Venetiis, 1583

In Q. Ciceronis De Petitione Consvlatvs Ad M Tvllivm Fratrem Librvm
Valerii Palermi Veronensis Commentarijs

[urn:nbn:de:gbv:45:1-770553](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-770553)

IO. BAPTISTAE
FOSCARINO
IACOBI. FOSCARINI. EQVITIS
ET. D. MARCI. PROCVRATORIS. R.
VALERII IN PALERMIVS
Q. CICERONIS
DE. PETITIONE
CONSVLATVS

AD. M. TVLLIVM. FRATREM
LIBRVM

VALERII. PALERMI. VERONENSIS
COMMENTARIVS



IN
Q. CICERONIS
DE PETITIONE
CONSULATUS
AD M. TULLIUM FRATREM
LIBRUM
VALERII PALERMI VERONENSIS
COMMENTARIUS



I O . B A P T I S T A E

F O S C A R E N O

I A C O B I . F O S C A R E N I . E Q V I T I S

E T . D . M A R C I . P R O C V R A T O R I S . F .

V A L E R I V S . P A L E R M V S

S . P . D .



INSTITVERAM olim, ex quotidianis scholae observationibus, commentarium quendam conscribere, in Q. Ciceronis de petitione consulatus libellum. De eoq. eram cum Aldo Mannuccio, quocum mihi uetus intercedit necessitudo, collocutus; cum ille, qui tanta cum laude semper litterarum studiosis fauit, quanta cum omnium admiratione litterarum studia coluit, auctor mihi fuit, ut hunc ipsum iam inchoatum absoluerem, absolutum expolirem, atque ederem. Ego igitur, etsi aliud ab initio cogitaram, doctissimi hominis, mihiq. amicissimi auctoritate permotus, & supremam manum operi addendam, & animum etiam ad editionem applicandum, si cui forte ea res usui futura esset, censui. In ea autem cogitatione, cum illud insuper (ut fit) coepissem deliberare, cui nam potissimum laborem hunc meum, qualiscumque esset, dedicarem; cui & res ipsa per se, & magis etiam, ut a me missa, conuenire uideretur; sic demum statui: nulli hominum generi, hoc de petitione commentariolum, nostro tempore accommodatius esse posse, quam Venetis. Neque omnibus tamen aequae, sed nobiles tantum, & reip. administrationem capescentibus. Apud quos, cum Romanae libertatis, dignitatisq. imago cernitur non obscura, tum honores ipsi, ratioq. eorum obtinendorum, non adeo est antiquae dissimilis. Nam, uere ut loquamur, ubi tales, tamq. praeclari magistratus urbani, seu prouinciales, iustis comitijs mandantur, quos operae pretium sit eo studio petere, ac labore, quo petendos docet hic libellus, praeterquam Venetijs: Vbi

Hh 2 tantum

tantum nobilitati simul, atque industriae hominum tribuitur, quantum apud Venetos? Vbi grauioribus de rebus, & saepius disceptare, & consilium capere opus est, quam in ipsa Venetorum Republica? Vbi crebriora, eaq. grauiora exercentur iudicia, in quibus liceat ingenij vires, & eloquentiae declarare, quam in ea urbe, quae est multorum populorum portus, quae columen Italici nominis, quae Christianae reip. decus, & praesidium? Merito igitur apud quos summi mandantur honores, ab ijs potissimum eorum adipiscendorum ratio perdiscenda, pertractandaq. est. Atque haec est praecipua caussa, cur Veneto tibi, ac Veneta familia nobilissima orto, hoc esse dicendum opusculum censui. Sed haec eadem cum alijs quam plurimis est communis. Illa igitur tibi, & mihi maxime propria; quod hoc, quidquid est operae, quod in hoc ipso opusculo, tum explanando, tum a multis mendis, quibus, quasi tricis quibusdam, impeditum tenebatur, expediendo, praestitisti. Id eo potissimum tempore me praestitisse memini, cum, te apud nos studiorum gratia commorante, ego de superiore loco, haec ipsa de petitione praecepta interpretabar. Qua quidem explicatione tu magnopere, (quantum ipse potui animaduvertere) praeter ceteros aequales tuos, delectabar. Vt non contentus ijs, quae ego disputando attulissim, alia quaerere, de alijs dubitare frequenter soleres. Quare non temere utrique nostrum conuenire credidi, ut, quae ex ingenio nostro, cum tu aderas, explicationes essent depromptae, eadem etiam absenti tibi dicatae, in manus hominum peruenirent. Qui enim non probatum iri sperem librum hunc illi, nostris additis explanationibus, cui nudum ipsum per se fatiam placuisse cognorim? aut cur non sit is libenter litterarum monumentis ea commendata tractaturus, quae summa olim uoluntate ex ore nostro profecta excipiebat? Accedit eo, ut, quemadmodum illius temporis memoriam tibi iucundam esse, de multis audio, sic perhonorificum mihi fore ducam, testimonium aliquod exstare, uel mea erga te paternae beneuolentiae, uel tuae erga me (ut ipse loqueris) obseruantiae. Cum praesertim (quod mihi nullo modo contemnendum est,) meis meciuis gratissimum in eo facturum sciam. Apud quos cum pater tuus uir clarissimus atque optimus Iacobus Foscarenus magnificentissima praetura functus sit, anno ille memorabili, cum, Italia fere tota fame laborante, summa praetoris uigilantia, integritate, & liberalitate factum est, ut ciuitas nostra sola propemodum nullos famis morsus sentiret; tam alte defixa, & in animis omnium impressa est insignis illa praetura, ut nemo non libentissime eius memoriam usurpet, nemo non toto pectore amplectatur, & exosculetur, quidquid ad tanti uiri laudes renouandas, & gratam erga illum, totamq. eius domum uoluntatem animi declarandam pertineat. Quid est autem quod propius attingere parentem optimum possit, quam filius optimus, animi simul, & corporis paterni certissima effigies? Ob has igitur tot, tantasq. caussas non imprudenter fecisse me, qui hunc tuo nomini librum dicarim, mihi facile persuadeo. Restat, ut,

quam-

quamquam domi habes, unde discas: disciplinam nempe, & exempla patris sapientissimi; qui unus, uel hoc potissimum scriptorum omnium praecepta superauit, quod, quae alij multo sudore ambientes assequuntur, ille, ultro delata, ac prope inuitus accepit. Veluti cum post praeturam Veronensem, Dalmaticae orae periculosissimo Reip. tempore praepositus est. Vel cum ex ea nondum reuersus, totius classis Imperator, qui Sebastiano Venerio, at cui uiro? qui Sebastiano Venerio (inquam) succederet, est creatus. Vel cum deinde summo cum imperio in Cretam, ut eam Insulam dictator constitueret, missus est. Vel demum, cum ob praestantissima in Remp. merita D. Marci procurator est factus. Aliaque post alia praeclarissima munera, tibi magis, quam mihi nota, domi forisq. honorificentissime accepit, & administrauit. Restat igitur, id quod dixi, ut, quamquam magistrum tam excellentem, non petendorum solum, sed & gerendorum magistratuum domi habes, quem si eris imitatus, quod facturum te sperant omnes, aberrare numquam possis: haec tamen Q. Ciceronis praecepta, quae, uel ob ipsam antiquitatem, plurimum habere debent auctoritatis, non contempnas. Sed, quod iam consuesti, summo studio complectare; eademque quantum res patitur, tuae personae accommodes. Quod, si tibi non licet in foro uersari, aut dicendo conciones tenere, (neque enim omnia possumus omnes;) at liceat saltem humaniora studia colere; historias, & ueteres, & recentes tractare, multaque uolumina tam Latine, quam Etruscae scripta uersare; ex quibus ingentem rerum colligas copiam, quibus te ipsum in omni uita meliorem, in consulendo, agendoque prudentiorem, & in sermone etiam quotidiano instructiorem efficias. Quo multis prodesse, bonam de te spem concitare, & uoluntates hominum allicere facile possis. Sic igitur facies; & cum de petendis magistratibus cogitabis, illud prae omnibus praeceptum Plauti in ore, atque in animo habeto:

Virtute ambire oportet, non fauitoribus,
Sat habet fauitorum, qui recte facit.

Sed haec haecenus. Tu officium hoc nostrum ab optimo animo, & tui studiosissimo profectum, hilari fronte, ut accipias, & amorem mihi tuum, qua adhuc pietate fecisti, conserues, etiam atque etiam te rogo. Vale.

Veronae, VI. Kal. Octob. ∞ D XXCIII.



I N
Q. C I C E R O N I S
D E . P E T I T I O N E
C O N S V L A T V S
A D . M . T V L L I V M . F R A T R E M
L I B R V M
V A L E R I I . P A L E R M I . V E R O N E N S I S
C O M M E N T A R I V S



NTER ceteros libros, qui, a Latinis scriptoribus editi, ad manus nostras peruenierunt, non postremum obtinere locum commentarium de petitione consulatus, statuendum est. Sive rem spectemus, siue rationem Latini sermonis. Continet quippe praeclaram ^{didacticarum} magistratuum adipiscendorum, quae omnibus, qui in ciuilibus muneribus uersaturi sunt, magno usui esse possit. & quia de honore illo agit, qui omnium, qui Romae mandarentur, erat maximus; multarum rerum, quae ad Romanam historiam pertinent, notitiam affert non contemnendam. Est uero in primis Latine, & eleganter scriptum, & in illo aequabili genere, quo praecepta traduntur, tam presse, simul & plane, & tanto ordine adhibito, ut nihil purius, nihil dulcius legi possit. Cuius auctoritas esse apud nos non mediocris debet; uel propter tempora, quibus est scriptum; cum ad summum fastigium Latina iam lingua peruenerat: uel propter ipsum scriptorem, qui, quod eloquentissimi hominis frater erat, nihil non perfectum, & dignum domo Ciceronum uidetur emissurus fuisse. Ac uideo esse etiam, qui putent, non a Quincto, sed a Marco hoc opusculum esse conscriptum, & in fratris gratiam Quincti nomine diuulgatum. Quorum opinio, ni fallor, diuinatione potius quadam, quam certa ratione nititur. Ideoq. non est de eo magnopere altercandum. Mihi sane libet credere, huius libelli scriptorem Quinctum fuisse, quem in doctrina percipienda, non solum multum studij a pueritia posuisse testatur Marcus; sed & eundem alias ut poetam commendat, alias summis de rebus disputantem cum doctissimis uiris inducit. ita tamen, ut non uerear, quin a Marco fuerit perpurgatus, & expolitus: de quo eum in ipsius libri calce
Quinctus

Quintus rogarat: atque ideo, quasi ex Marci officina profectus, ita accipiendus est. Sed, siue hic, siue ille, siue uterque scripserit, parui refert: illud igitur satis; librum litterarum humaniorum studiosis perutilem fore. Atque, ut magis sit, nostris lucubrationibus, quo ad eius fieri potest, perpurgabitur, illustrabiturque. Sed interim pauca quaedam, tum de scriptore ipso, atque libelli inscriptione, tum de descriptionis genere, & scribentis consilio de more praefari consilium est.

Quintus igitur Cicero, frater fuit M. Tullij Ciceronis, Quintus dictus ab ordine nascendi, quod quinto loco esset natus. Fuit disciplina Stoicus, ut in lib. de diuinatione apparet. Fuit poeta, & Tragoedias scripsit, ut lib. 2. & 3. epist. ad ipsum. Romae praeturam adeptus est, & ex praetura in Asiam profectus, eam per triennium administravit, ut lib. 7. epist. ad eum. Fuit legatus Caesaris in Gallia, & ipsius Ciceronis in Cilicia; ut in epist. fam. Uxorem habuit Pomponiam sororem Attici, ut Nepos in Attici uita. Ex ea filium suscepit natura improbum, ut in ep. ad Att. Natura fuit ualde ad iracundiam propensus, ut ep. 1. ad ipsum. Statura autem parua, unde Scommma Ciceronis in illum de quo Macrobius lib. 2. cap. 3. Saturnalium. In bello ciuili secutus est cum M. Fratre Pompeium, ut ep. 12. lib. ij. ad Atticum. Occisus demum cum filio in proscriptione Triumuirali, ut Plutarch. in uita Ciceronis. Quo tempore quanta apparuerit alterius in alterum pietas, amorque, lege apud Dionem lib. 47.

De petitione consulatus inscribitur, quia, qua ratione petendus sit M. Ciceroni consulatus, ita, ut obtineatur, docet; Consulatus autem, non cuiusuis alius magistratus. nam hic maximus honor in rep. in eoq. maxime laborandum.

Spectat autem hoc praecipue Quintus, ut quidquid de eo dici possit, breuiter, & per capita quaedam complectatur, ut sic petenti fratri labor minuatur. Nam, quamquam haec praecepta aliqua ex parte, ad alios etiam, qui honores petant, transferri possunt, tamen ad Marcum proprie, & ad eius petitionem, uidentur pertinere, ut in fine libri dicitur.

Genus dicendi in hoc libro est subtile, & acutum, quali in docendo utendum esse dicunt oratores. In quo sit illustris breuitas, & sine magno ornatu, rectae, & acutae sententiae. Quinto autem subtilitatem orationis tribuit Cicero in 2. de orat.

Et, quoniam ad rerum intelligentiam plurimum lucis afferre putatur diuisio, capita quaedam praecipua totius operis nunc proponam. In extremo autem libro singula in suas partes distributa, diligentius in tabula describam. Diuiditur igitur hoc opusculum in Caput, ut sic loquar, Corpus, & Pedes. Idest in exordium, in ipsius rei tractationem, & conclusionem. Exordium illuc usque producit. CIVITAS QVAESIT &c. Inde incipiunt praecepta de petitione. Clauditur opus illic, HAEC SVNT &c. Sed de exordio, & clausula, suis locis. Tractatus ipse distinguitur in personam, quae petit, in rem, quae petitur, in locum, ubi petitur. & in singulis fere haec duo spectantur: impedimenta quae obstant, & rem difficiorem faciant; & quae subsidia aduersus impedimenta, ut negotium facilius reddatur, sint paranda.

Quintus



Q. CICERONIS

DE PETITIONE
CONSULATVS
AD M. FRATREM

LIBER



QUINTVS.



ETSI tibi omnia suppetunt, quae de petitione tua cogitanti. non ut aliquid ex ijs
consequi ingenio, aut usu homi- noui adijcerem, sed ut ea, quae in re dispersa, at-
nes, aut diligentia possunt: tamen ab amore nostro non sum- que infinita uiderentur esse, ratione, & distribu-
arbitratus alienum, ad te per- tione sub uno adpectu ponerentur. Quamquam
scribere ea, quae mihi uenie- plurimum natura ualet, tamen uidetur in pauco-
bant in mentem, dies ac noctes rum mensium negotio posse simulatio naturam
uincere.

EXPLANATIO



VM hic liber suasionem quandam, & consilium contineat, quod uelit Quintus in petendo consulatu Marcum sequi, uidetur in eo genere scriptus, quod *συμβουλευτικόν* a consilio dando, appellant: Atque ideo praecepta, quae ad eam rem faciunt, diligenter sunt obseruata. principia in eo genere breuia esse debent, ut inquit Tullius in Partitionibus, quod non supplex, ut ad iudicem, uenit orator, sed horator, atque auctor. Hoc breue est. Proponere idem debet, quae mente dicat, quid uelit, quibus de rebus dicturus sit. Id ad amulum est factum. Tota denique oratio simplex, & grauis, & sententijs debet ornatiores esse, quam uerbis. neque hoc quidem quisquam in hoc libello desiderat. Praeterea in ipso principio, non solum quo ad breuitatem, sed quo ad reliqua exordij propria munera, mire cum arte consensit scriptor. Si beneuolentiam quaeras; a M. Tullij persona, & sua, & unicuique uidere licet, optime caprat. si attentionem: rei utilitas proposita, eam per se parit. Si docilitatem; quae mox subsequetur, breuis diuisio, facillime comparabit.

ET SI tibi omnia. In initium a causa, cur se ad scribendum contulerit, per ante occupationem. Nam, cum suadere, & dissuadere grauisimae personae sit, ut ait M. Tullius in lib. 2. de orat. & qui consilium suum de maximis rebus apud alterum exponit, sapienter se uideatur profiteri eo, apud quem exponit, ideo haec praetextenda est excusatio. Quae utitur ipse Marcus saepe in epist. & praecipue Sulpicius ad Ciceronem. lib. 4. fam. Quae in praesentia mihi in mentem uenerunt, decreui breui ad te perscribere. non quod ea te fugere existimem, sed quod forsitan, dolore impeditus, minus ea perspicias. **SUPPETUNT.** Abunde adsunt. Cic. primo officiorum: Ad largiendum suppetunt copiae. **QUAE consequi ingenio, aut usu homines, aut diligentia possunt.** Tria ponit, quibus homines periti rerum fiunt, & quorum praesidio nihil non bene possunt administrare. Ingenium, quod a natura habetur. Usus, qui est ab exercitatione. Diligentiam, qua utrumque perficitur. Quae conuenire uidentur cum tribus illis, quae ad inueniendum in dicendo oratori esse necessaria, dicebat M. Antonius lib. 2. de orat. Acumen nimirum, artem, & diligentiam. sic tamen, ut intelligamus pro arte, quae in dicendi ratione certa est, hic substitutum esse usum, qui in ciuilibus muneribus, in quibus ars non est, uim artis habet. **INGENIO & usu.** Cicero ep. 16. lib. 13. Valet ingenio, habet usum. Ingenium, & diligentiam, in orat. pro P. Quintio. Quo minus ingenio possum, subsidio mihi diligentiam comparau.

comparavi. Ultimo loco ponitur diligentia. Nam in 2. de orat. ea una uirtute, omnes uirtutes reliquas contineri, & ipsum ingenium diligentia incitari, dicit. *CONSEQUI ingenio, aut usu homines.* § M. Antonius Muretus, uir omni nostra laudatione maior, & Homines, ab omnibus antiquis libris abesse asserbat, ideoq; ab indoctis inculcatum, & uerbum *Consequi* *παθνητικως* positum esse arbitrabatur, in suis in Propertium scholijs. Nos, ut nonnulla ex huiusmodi uerbis, aliqua in parte, aliquando, significatione passiuua inueniri non negamus; ita in tribus codicibus scriptis, quos habemus, Homines, esse affirmamus; aures uero nostrae etiam id exigunt, quod sine eo nescio quid curtum sentiant. *TAMEN ab amore nostro non sum arbitratus alienum.* § In libris scriptis omiſſa praepositione *Ab*, legitur, *Tamen amore nostro.* id est parui refert, & utrumque Latine dicitur, tamen non est omnino negligendum. quod apud M. Ciceronem sine praepositione saepissime alienum, in hac significatione inuenias, ut epist. 17. lib. 6. fam. *Facisq; nihil alienum necessitudine nostra.* & 27. lib. 1. *Quidquam a me commissum, quod esset alienum nostra amicitia.* *Ad te perscribere.* § Male in non nullis Praescribere. Legendum est enim *Perscribere.* sic in fine, *Ad te perscripta mittere.* *NON ut aliquid ex ijs noui adijcerem.* § Ad ea, quae tibi suppetunt adderem. *SED, ut ea, quae in re, dispersa, atque infinita uiderentur esse.* § Suspendenda est lectio ad illud *In re*, deinde addendum *Dispersa*, atque & c. *Dispersa*, quo ad ordinem; *infinita*, ad numerum. *Ad* quae respondent duo sequentia; *Ratio*, & *distributio*. Quae enim infinita sunt, ratione ad certum numerum rediguntur; Quae dispersa, distributione ad suas quaeque partes referuntur. Sic in prima agraria: Quae totius rei ratio, atque descriptio. Ratione; id est arte, inuenientur, quaecumque erunt potissimum in petitione obseruanda: distributione, disponentur eadem ad uaria hominum genera, cum quibus erit agendum. *Sed uno ad spectu.* § Ita breuiter comprehensa, ut uno ad spectu ea intueri possit. ut lib. 3. de legibus: *Quam breui frater in conspectu posita est a te omnium magistratum descriptio; & in fine huius libelli, iterum: Putavi non melius scire me, quam te, sed facilius his tuis occupationibus colligere unum in locum posse.* *QUAM QUAM plurimum natura ualeat.* § Occurrit obiectioni, quod nihil praecepta ualeant, nisi adiuuante natura, ut *Quinctil.* lib. primo. Haec prima igitur, inquit, in omni re, quam agas, certe requiritur. Nihil enim decet inuita (ut aiunt) *Minerua*, id est aduersante, & repugnante natura. *Plurimum natura ualeat*, si quis habeat a natura ea, quae petitori bono conueniunt, praecipue blanditiam, & uarium ingenium, quod sit ad tantam motum, sermonum, ac uoluntatum uarietatem accommodatum, ut dicit infra. *TAMEN uidetur in paucorum mensium negotio posse simulatio naturam uincere.* § Si quis haeciam dicta non habeat, ut ipse met *Cicero*, de quo infra. *Quod natura non habes, induc in animum, ita simulandum esse, ut natura facere uideare.* Item illud difficilius, & magis ad tempus, quam ad naturam accommodatum tuam. *IN paucorum mensium.* § Bene, *Paucorum.* Nam ait *Publius in Mimis*: *Ficta ad naturam cito redierint suam.* & *Seneca*, *Nemo potest personam diu ferre*, de *Clem.* cap. 1. *Horatius* etiam in epist. *Naturam expellas furca; tamen usque recurret.* *PAUCORVM mensium.* § *Vnius* anni, sed sic loquitur. *διεξοδισμῶν*, per extenuationem. Nam initium prensandi facere se uelle dixit, ad xv. Kal. Sext. cum petiturus esset comitijs consularibus sequentis anni, quae mense *Quinctili* fere habebantur. epist. prima ad Att. Sic *Ad cogitationem consularatus bimetricis* dicitur lib. 1. o. epist. Fam. cum quinque mensium spatium esset.

QUINCTVS

CIVITAS quae sit cogita, quid petas, qui sis. quoniam ab hac laude proficisceris, & quidquid es, ex hoc es; ita paratus ad dicendum uenito, quasi in *Prope* quotidie ad forum tibi descendenti meditatam hoc sit, *Nouus* sum, consularum peto, *Roma* est. *Nominis* nouitatem dicendi gloria maxime subleuabis, semper ea res plurimum dignitatis habuit. *Non potest* qui dignus habetur patronus consulari um, indignus consularu putari. *Quamobrem*, sit *Demetrius* recordare.

EXPLANATIO

CIVITAS quae sit, § Breuis, & absoluta diuisio, propositionem continens totius de petitione commentarij; nimirum, locum, rem, personam; id est qui, quid, & ubi petat. a quibus ceu a tribus fontibus manat, quidquid de toto hoc genere traditurus est. *PROPE* quotidie ad forum tibi descendenti. § Eandem propositionem repetit, & interpretatur, ut, quantam uim habeat, penitus intelligat. *Quod* enim dixit *Cogita*; nunc dicit quoties, quando, & quantum. Nempe *quotidie*, descendenti ad forum, meditatum sit; *Quod* dixit qui sis; nunc nouus sum. *Quid* petas, *Consularum*. *Civitas* quae sit, *Roma* est. & obseruandum non eodem ordine reddidisse haec tria, neque tractasse, quo proposuerat, quod fieri solere non semel animaduertimus. Ut in lib. 1. de Inuent. Considerandum est, inquit, an in ratione; an in scripto sit controuersia. *Mo* de scripto prius, quam de ratione agit. & in lib. 2. Hic neque facile est, neque necessarium distinguere. *Primo* loco non necessarium, deinde non facile probat. Atque ipse met *Cicero* in eodem lib. praecerat, ut prima quaeque pars, pro ut exposita esset in partitione, sic ordine transigeretur. Sed hanc esse figuram usitatam, ut non eo ordine respondeamus, quo proposuerimus, notauit *Seruius* in principio libri primi *Aeneid.* illa figura *ysteron proteron* dicitur, qua usus est ipse *Cicero*, in princip. orat. pro *Quinctio*. *Ad forum descenden*

denti tibi. § Proprie, nam habitauit Cicero in Palatio. Pub. Victor, In regione decima. Fortum autem campus est inter Palatinum, Capitolinumq. collem, ut Lilius lib. 1. ex hoc fluxit illud Descendere ad accusandum, quod in foro iudicia exercebantur. De hoc autem epist. 16. libri primi ad Att. Cum ad forum stipati gregibus amicorum descendimus. *MEDITATVM.* § in patiendi significatione, quod frequens est apud M. Tullium. in scriptis codicibus legitur Meditandum hoc sit. & in fine etiam, ubi epilogo utitur, Quotidie ad forum descendentem meditandum hoc esse dixeramus. *NOMINIS nouitatem.* § lam incipit praecepta tradere, & primum quidem, quod in eo impedimentum sit maximum proponit, & quomodo ei occurrat. Tum quibus rationibus eam rem faciliorem faciat. Quod igitur maxime obstabat Ciceroni, ipsa erat nominis nouitas. Nam quemadmodum omnes boni semper nobilitati fauent, tum quia utile est reip. Nobiles homines esse dignos maioribus suis, tum quia ualet clarorum hominum, & bene de rep. meritorum memoria, etiam mortuorum, ut est in orat. pro P. Sextio. Sic hominibus nouis fere solebat inuideri. Sallust. in Catilinae de M. Tullij petitione. Antea pleraque nobilitas inuidia aestuabat, & quasi pollui consulatum credebat, si eum, quamuis egregius, homo nouus adeptus foret. Idem in bello Iugur. Consulatum nobilitas inter se per manus tradebat, nouus nemo tam clarus, neque tam egregius factis erat, quin is indignus illo honore, & quasi pollutus haberetur. *DICENDI gloria maxime.* § In orat. pro L. Murena. Duae sunt artes, quae possunt locare homines in amplissimo gradu dignitatis. Vna Imperatoris, altera oratoris boni: per illam Marius, per hanc Cicero, uterque homo nouus emerit. De Mario, Sallust. in Iugur. De Cicerone, ipsemet in orat. pro Murena: Cum ego tanto interuallo claustra ista nobilitatis refregissem. *SEMPER caues.* § Cicero in primo de orat. ad Q. Fratrem: Eloquentia in omni libero populo, maximeq. in pacatis, tranquillisque ciuitatibus, praecipue semper floruit, semperq. dominata est. & in orat. ad M. Brutum: In rep. nostra primas eloquentia tenuit semper, urbanis, pacatisq. rebus. Sed faciunt ad hunc locum uel maxime uerba ex orat. pro L. Murena. Gravis etiam illa est, & plena dignitatis dicendi facultas, quae saepe ualuit in consule deligendo: posse consilio, atque oratione, & senatus, & populi, & eorum, qui res iudicant, mentes permouere. Quaeritur consul, qui dicendo non numquam comprimat tribunicios furores: qui concitatum populum fleat: qui largitioni resistat: Non mirum, si ob hanc facultatem homines saepe etiam non nobiles, consulatum consecuti sunt: praesertim cum haec eadem res plurimas gratias, firmissimas amicitias, maxima studia pariat. *NON potest, qui dignus habetur.* § Quoniam uult ut persuasum habeat omnem petitionis spem uiribus eloquentiae niti. Ideo ad uim illius probandum addit argumentum, quod ex coniugatis sumptum uidetur. Propter illas duas uoces, quae sunt eiusdem generis, consulatus, & consularium, qui dignus patronus est consularium, dignus etiam erit consulatus. Vel etiam a minori. Qui tueret uiros consulares, multo magis tueritur consulatum. *QUAMOBREM, quoniam ab hac laude proficisceris &c.* § Quaecumque es assecutus propter unam eloquentiam obtinuisti. in lib. de clar. orat. Et praetor primus, & incredibili populari uoluntate sum factus. Nam cum propter assiduitatem in causis, & industriam: tum propter exquisitius, & minime uulgare orationis genus, animos hominum ad me, dicendi nouitate conuerteram. *QUIDQUID es, ex hoc es.* Venusta iteratio, ut illa Marci epist. 1. lib. 2. Quidquid erit, tibi erit. in orat. pro Murena: Praemia mihi tanta, pro hac industria sunt data, quanta antea nemini. *TRA paratus ad dicendum uenit.* § Primum praecipuum, ut quantum maximum potest studium in agendis causis ponat. In eoque tria facienda dicit. Timendum in singulis causis. Habenda in promptu quaecumque ad ornandam eloquentiam olim sibi comparauit. Voluenda animo, quae Demosthenes eloquentiae causa fecisse dicitur. *QUASI in singulis causis.* § Quasi agatur existimatio, quae de tuo ingenio est. Non erat sane quidquam Ciceroni timendum, in quo, quidquid esset, multo ante, ut ille in Bruto dicit, esse perfectum, & habere maturitatem quandam suam uidebatur, & erat iam aliquot annos, in plurimis causis, & in principibus patronis uersatus. sed metus prouidentiam docet. Nimis confidens, incautus est. *IUDICIUM de ingenio.* § In primo de orat. quoties dicimus, toties de nobis iudicatur. Diuinat. in Verrem, ut non nullum etiam de suo ingenio iudicium fieri arbitretur. *ET ius facultatis.* § Oratoriae artis. *QUAE tibi scio esse seposita.* § Ex longo studio, & exercitatione, quod ipse de se testatur, in Bruto ad finem. & Diuinat. in Verrem. *UT parata, ac prompta.* § Non satis est seponere haec, quibus in dicendo utamur, eadem ipsa usu pertractata habeamus, oportet. & ut in 2. de orat. Genus earum rerum, quae ad oratorem deferuntur, meditatum nobis in perpetuum ad omnem usum similitum rerum esse debet. *ET saepe quae de Demosthene.* § Aemulatio alit ingenia. Ut Velleius lib. 1. in animo autem gloriae cupido, qualis fuit Ciceronis, plurimum potest. Atque illius hominis mentio praecipue, cui uim, quae fuit sine dubio summa, exprimendam sibi statuerat. De studio, & industria Demosthenis lib. 1. de orat. & Val. Max. lib. 8. *DEMETRIVS.* § Hic est Demetrius Phalereus, de quo lib. 2. de diuinat. Multi, inquit, naturae uitium meditatione, atque exercitatione, sustulerunt. ut Demosthenem scribit Phalereus, cum Rho dicere nequiret, exercitatione fecisse, ut planissime diceret.

QUINCTVS

DEINDE & amicorum multitudo, & genera appaerant. Habes enim ea, quae noui habuerunt, omnes publicanos, totum fere equestrem ordinem, multa praeterea municipia, multos abs te defensos homines cuiusque ordinis, aliquot collegia. praeterea studio dicendi conciliatos plurimos adolescentulos, quotidianam amicorum assiduitatem, & frequentiam. Haec, cura, ut teneas commendando, &

do, & rogando, & omni ratione efficiendo, ut intelligant, qui debent tua causa referendae gratiae, & qui uolunt, obligandi tui tempus sibi aliud nullum fore.

EXPLANATIO

DEINDE & amicorum multitudo? Tribus rationibus putat subleuari posse nouitatem nominis illius. Eloquentia, amicorum multitudine, competitorum uitij. De prima iam dictum. Nunc de amicorum studio. In hoc uidendum, ut & plurimi, & uarij sint, id est ex omni genere, ex omni ordine, aetate, & gradu. Nec dicit ut sint, sed ut appareant, non modo, quia in petitione, qui uere sunt amici, tum se ostendant, oportet, operam nauando, sed etiam, quia in ratione ambitus plura ad speciem, quam ad ueritatem comparantur. infra iterum, multitudo eorum, quos tua causa uenisse appareat. *HABES enim ea.* Ideo facile poterunt apparere, quoniam habes, quae desiderantur. *QVAE noui habuerunt.* Aliqua cum alijs communia. Aliqua tua propria. *OMNES publicanos, totum fere ordinem equestrem.* Coniungit publicanos cum equitibus, quia nulli alij fuerunt publicani, quam equites Romani. Cicero pro Cn. Plancio, Flos equitum Roman. ornamentum ciuitatis, firmamentum reip. publicanorum ordine continetur. Erant autem publicanorum societates, quae plurimum in rep. poterant. Cic. orat. pro Sextio. Nulla erat Romae societas uectigalium, nullum collegium, aut concilium, quod tum non honorificentissime decreuisset de mea salute. Atque hos fautores fuisse Ciceroni uerisimile est, cum & ipse equestri loco esset ortus, ut ait in prima agraria. Eisdem etiam fauisse reliquis hominibus nouis, nihil mirum. Nam equites fere, noui erant homines. quippe qui donec equites essent magistratus non caperent; ubi coepissent, equites esse desinerent, & senatores fierent. Nobilitas autem magistratibus curulibus gerendis tantum parabatur. Quae omnia disertissime, & copiosissime tractat Carolus Sigonius in aureis libris de iure Ciuium Romanorum. *QVAE noui habuerunt.* Hoc loco non ignoro Lambinum negationem, ante Habuerunt, inferere. Scio etiam Muretum expungere uerbum Habuerunt, & Noui uerbum esse existimare. sed suum cuique, ut aiunt; ego a recepta scriptura non recedo. sententia praesertim non absurda. *MULTA praeterea municipia.* Homines ex municipijs, qui ius ciuitatis habebant, & ad comitia uentitabant. de his etiam infra. *MULTOS abs te defensos homines.* in quorum studio tantum ponebat, ut ijs praecipue fretus, initium petendi fecerit, ut paullo post dicitur. *ALIQUOT collegia.* Opificum, artificumq. conuentus intelligit. Qui, ut alij dicunt, a Numa; ut alij, a Seruio Tullio instituti sunt. Erant in ijs descripti ciues, qui ius suffragij ferendi habebant. ut ex Ciceronis orationibus passim colligitur, de ijs, idem numquam satis commendatus Sigonius. Multa praeterea & Paullus Mannuccius, in quo nostra tempestate ueteris eloquentiae enituit imago, in suo in orationem pro P. Sextio. commentario. Aliquot cum dicit, potius quam omnia, innuit fuisse aliqua collegia honesta, & probata, quae optimus quisque amica habere recte posset; aliqua minus probata, quibus carum esse, nulla esset laus. Quae aliquando legibus, & senat. cons. sublata sunt. Cic. orat. pro Sextio. ut collegia, non modo illa uetera contra senat. cons. restituerentur, sed ab uno gladiatore innumerabilia alia noua conscriberentur. & Peditanus in Comelianam. *PRAETEREA studio dicendi conciliatos plurimos adolecentulos?* Quales M. Crassus, M. filij Item M. Coelius. Plurimum autem ualuisse in suffragando adolecentulorum studia, & in hoc libro saepe dicitur, & innuit etiam ep. 6. lib. 2. fam. *QUOTIDIANAM amicorum assiduitatem, & frequentiam?* Plutarch. in uita Ciceronis singulis diebus non pauciores domum ad Ciceronem adijisse refert, quam qui ob diuitias Crassum, ob militarem gloriam Pompeium salutabant. Qui duo, tum omnium erant maximi, & summa in admiratione apud omnes habebantur. *Cura ut teneas dicit, quoniam iam habebat, sic paullo post adolecentes nobiles, elabora, ut habeas, uel ut teneas quos habes. QUI debent tua causa?* Quibus ipse benefeceris. *QUI nolunt?* A superiori repete. Tua causa, id est, tui studiosi sunt, etiam si nihil abs te habeant, nihil tibi debeant. Iam formae illae loquendi, uolo tua causa, debeo tua causa, ita sunt frequentes, & necesse non sit, de his aliquem commune facere. Meminerimus tamen, quod docet Peditanus, locutionem non esse plenam, sed subaudiendum, facere. *TEMPVS sibi aliud nullum.* Haec eadem sententia bis infra repetitur.

QUINCTVS

ETIAM hoc multum uidetur adiuuare posse nouum hominem, hominum nobilium uoluntas: & maxime consularium: prodest, quorum in locum, ac numerum peruenire uelis, ab his ipsis illo loco, ac numero dignum putari. Hi rogandi omnet sunt diligenter, & ad eos allegandum, persuadendumq. est ijs, nos semper cum optimatibus de rep. sensisse: minime populares fuisse: si quid locuti populariter uidemur, id nos eo consilio fecisse, ut nobis Cn. Pompeium adiungeremus; ut enim, qui plurimum posset, aut amicum in nostra petitione haberemus, aut certe non aduersarium. Praeterea adolecentes nobiles: elabora ut habeas; uel ut teneas studiosos, quos habes: multum dignitatis asferent. Plurimos habes; perface ut sciano quantum in his putes esse. si adduxeris, ut ij, qui nolunt, cupiant, plurimum quidem proderunt.

EXPLANATIO

ETIAM hoc multum uidetur adiuuare posse. Immo longe plurimum, quia ut supra ex Sallust. retulimus, nobilitas inter se, quasi per manus consulatum tradebat. Et nouos homines illo honore indignos putabat. opponuntur enim noui nobilibus. Cic. pro Mur. Nec mihi umquam minus in Q. Pomp. nouo homine, & fortissimo uero uirtutis esse uisum est, quam in homine nobilissimo M. Aemilio. **NOBILIVM uoluntas.** & uoluntatem pro favore posuit, ut Terent. in prologo Phorm. uoluntas uestra si ad poetam accesserit. **MAXIME consularium.** Quorum maior est dignitas, ut qui consulatum gesserint. **PRODEST quorum in locum, ac numerum peruenire.** Ratio haec uim habet, generalis sententiae, quippe omnibus conuenire potest: nemo enim in eum locum, quem ipse obrinuit, alium se indigniorem peruenire uult, ideoque quem ipse probat, huic quasi testimonium uirtutis praebet. Quod ualuit ad impellendum C. Octauium, ut hereditatem, & nomen sibi a C. Caesare relictum adire non dubitaret; contra multorum sententiam; cum dictitaret, nefas esse, quo nomine Caesari dignus esset uisus, semet ipsum uideri indignum. Velleius lib. post. Prodest hoc loco impersonaliter, ut loquimur, positum est. Quomodo apud hunc saepius. Graeci *συμμερτι* dicunt. id est confert; est uero elegans conditio in repetitione illorum uerborum, locum numerum, loco numero. **Hi rogandi omnes sunt diligenter a nobis, & ad eos allegandum.** Amici scilicet summittendi, qui pro nobis rogent. allegare est pro priuata causa aliquem mittere, quod pro publica legare dicimus. Cicero ep. 10. lib. 1. s. famil. Si mihi tecum minus esset, quam est cum tuis omnibus, allegarem ad te illos, a quibus intelligis, me praecipue diligere, & notandum, allegare absolute positum, sine adiunctione personae, quae mittatur, sciunt etiam infra. & Philip. 5. Quemadmodum ad hunc reus alleget? Nos semper cum optimatibus de rep. sensisse, minime populares fuisse. Hic in orat. pro Sextio. Duo genera, inquit, semper in hac ciuitate fuerunt eorum, qui uersari in rep. atque in ea se excellentius gerere studuerunt. Quibus ex generibus alteri se populares, alteri optimates & haberi, & esse uoluerunt. Qui ea, quae faciebant, quaeque dicebant, multitudini iucunda esse uolebant, populares: qui autem ita se gerebant, ut sua consilia optimo cuique probarentur, optimates habebantur. Haec igitur causa est, cur ad colligendam nobilitatem, & consularium gratiam, profiteri eum uult, se optimatem fuisse semper, non popularem. Quod populare nomen in rep. Romana, apud bonos inuisum esset. **Si quid locuti populariter uidemur.** In gratiam populi, contra optimates, ut pro lege Manilij, quam promulgatam a trib. pleb. Manilio, suasisit aduersus auctoritatem Q. Catuli, & Q. Hortensij. Et in Cornelij defensione, de qua in hoc ipso dicitur. Et bene opponit Locuti, ad Sententiam: nam non tam spectandum quid quisque dicat, quam quo animo dicat. sic infra Multitudo ex eo quod oratione in concionibus popularis fuit. **Id nos eo consilio fecisse, ut nobis Cn. Pompeium adiungeremus.** Conciliarem, fautorem haberemus. Quod orationibus iam dictis facile consequi potuisset, cum in lege Manilij, de bello aduersus Mithridatem Pompeio mandando ageretur. Cornelius autem Pompeij quaestor fuisset. In oratione ipsa pro lege Manilia, aperte dicit, se non eam causam egisse, ut Pompeij gratiam sibi conciliaret. sed oratorie, non ex rei ueritate dictum est. **Aut amicum in nostra petitione haberemus, aut certe non aduersarium.** Quamuis enim tum abesset ab urbe Pompeius, potuisset tamen uel litteris, uel ipsa etiam opinione plurimum obesse, uel prodesse. Huic sententiae illa similis uidetur, quae in epist. 9. libri primi fam. est. Rogauit, ut eius dignitatem ne oppugnarem, si nollem, aut non possem ueri. Et aduertendum in hoc uerborum tractu, quam suauiter deflexerit a secunda persona ad primam: & eam ad Fratrem loqueretur, se ipsum quoque admiscuerit, quasi non de Fratre tantum, sed de se quoque ageretur. sic infra, In praetura competitorem habuimus. sic M. Cic. lib. 10. Fam. Gloriam, quam consecuti sumus. **PRAETEREA adolescentes nobiles.** Non idem reperit, quod paullo ante dictum est. Nam illic enumerauit, quae haberet; hic, quae curare debet, ut habeat, aut seruet, si haberet. illic de quibusuis adolescentibus, hic praecipue de nobilibus. **Ut habeas, uel ut teneas studiosos.** Tale est illud in ep. prima ad Att. Vides in quo cursu sumus, & quam omnes gratias non modo retinendas, uerum etiam acquirendas putemus. **PERFICE ut sciant, quantum in his putes esse.** Quantum spei tibi in illis ponas. **Si adduxeris, ut ij, qui nolunt, cupiant, plurimum quidem proderunt.** Horum uerborum sensus parum efficax, uel, ut dicam, frigidus, & sine ullo acumine uidetur. Quis enim nescit, plurimum conducere rationibus nostris, si, qui antea nobis aduersabatur, mox nostri cupidus fiat, hoc enim significant illa uerba. Qui nolunt cupiant. Quare eum in scripro meo legatur Non uolunt, suspicatus sum, legendum esse Non nolunt. Non nolle autem est, nec magnopere uelle, nec magnopere recusare. ut in 2. de orat. Inuitatus Hannibal ab hospitibus suis, ut Phormionem Peripateticum, si uellet, audiret, cumque is se non nolle dixisset. Erit enim hic sensus, & ut puto efficacior: si efficies, ut, qui nunc tibi non aduersantur quidem, sed nec admodum fauent: Mox tuis uerbis adducti, ita incitentur, ut tua causa cupere uideantur, id erit tibi perutile, aut fortasse legendum uolunt; ut, qui nunc tantum uolunt, etiam cupiant. Plus est in cupiditate, quam in uoluntate, ep. 4. lib. 1. s. Fam. Huic meae uoluntati, in qua inest aliqua uis desiderij. Atque huc respiciunt illa in fine libri, si nostros ad summum studium beneuolos excitamus.

QUINCTVS

AC multum etiam nouitatem tuam adiuuat, quod audeat dicere, plus illis nobilitatem, quam tibi uirtutem prodesse oportere. Iam P. Galbam, & L. Casium,

sum, summo loco natos, qui est, qui petere consulatum putet? Vides igitur amplissimis ex familijs, homines, qui sine nervis sint, tibi pares esse non posse. at Antonius, & Catilina molesti sunt; imo homini

nouo, industrio, innocenti, disertio, gratioso apud eos, qui res iudicant, optandi competitores, ambo sicarij, ambo libidinosi, ambo egentes.

EXPLANATIO

AC multum etiam novitatem. § Tertia ratio, qua subleuetur novitas Ciceronis, est competitorum indignitas, de quibus, quid scripserit Ascon. Pedianus, operae pretium est videre. Ille igitur in commentario orat. in competitores, Sex competitores, inquit, in consulatus petitione Cicero habuit, duos patricos P. Sulpicium Galbam, L. Sergium Catilinam. quattuor plebeios, ex quibus duos nobiles, C. Antonium, M. Antonij oratoris filium, L. Cassium Longinum, duos, qui tantum non primi ex familijs suis magistratum adepti erant. Q. Cornificium, & C. Licinium Sacerdotem. ceteri eius competitores, modeste se gessere, uisig. sunt Cornificius, & Galba sobrij, ac sancti uiri; Sacerdos nulla improbitate notus. Cassium, qui iners, ac stolidus, tum magis, quam improbus uideretur, post paucos menses in coniuratione Catilinae esse apparuit, ac cruentissimarum sententiarum fuisse auctorem. Itaque hi quattuor pro re iacebant. Ex ijs igitur quattuor tantum nominat Quinctus, nobiles nimirum, de Cornificio, & Licinio, hominibus nouis nullum uerbum. **EI USMODI nobiles.** § Vno tempore quattuor ipsos nobiles complectitur, ac si comparetur omnium nobilitas cum unius Ciceronis uirtute, illam non plus, quam hanc, ualere debere dicit. Deinde ad singulos descendit, ac de P. Galba, & L. Cassio addit, non solum praeferendos non esse Ciceroni, licet summo loco nati sint, uerum mirum etiam esse, eos consulatum audere petere. Quare, quod non nulli 70^a iam, in Nam, mutare uoluerunt; tamquam rationem reddat, cur illis plus nobilitas, quam Ciceroni uirtus prodesse non debeat, mihi non placet, cum haec non ad reddendam rationem magis, quam ad amplificandam, addita sint. **SUMMO loco natos.** § Erat quidem alter patricius, alter plebeius; Sed erant permultae familiae plebeiae, amplae, & honestae. **QUIS est, qui petere consulatum putet?** § Galba enim, licet modestissimus, atque optimus uir esset, ut est in orat. pro L. Murena, tamen imprudentia uideatur damnari, in prima ep. ad Att. ubi de eius praepropere prefatione fit mentio; nec multae auctoritatis homo apparet, quod ei prefanti uulgo negarent. De Cassio uero iam dictum est, ex Asconio. **QUI sine nervis sint.** § Sine uiribus, sine auctoritate, sine uirtute; Hic, pro Qui, legendum uideatur, Quod: reddit enim causam. **AT Antonius, & Catilina molesti sunt.** § Occupatio. alij sint sine nervis, at non tales sunt Antonius, & Catilina. De ijs idem Asconius. Catilina, & Antonius, quamquam omnibus maxime infamis eorum uita esset, tamen multum poterant. Coierant enim ambo, ut Ciceronem consulatu deijcerent, adiutoribus usi firmissimis M. Crasso, & C. Caesare. **IMMO homini nouo optandi competitores.** § Quia illorum uitiorum comparatione, tuae uirtutes magis apparebunt, & sic facilius eos superabis, quod contraria inter se collata maxime elucescant, ut est apud Arist. lib. 3. Rhet. Hinc etiam paullo post dicit meliorem fortunam petitionis Ciceroni datam, quam homini nouo, C. Coelio, nempe propter uitia competitorum. **APUD eos, qui res iudicant.** § Id est, apud iudices. sic loquuntur Latini saepe, ep. 14. lib. 8. Fam. Item in prima Philipp. Qui ordines duxerunt, res & iudicant, & iudicauerunt. In Diuinat. in Verr. Ordo alius ad res iudicandas postulatur. **INNOCENTI, diserto, gratioso.** § sic in sequentibus. Ut forti homini, innocenti, diserto. **GRATIOSVS porro.** § Ob innocentiam, & eloquentiam. **AMBO sicarij.** § Infra duas ficas appellat. **AMBO libidinosi, ambo egentes.** § Quasi ex libidine orta sit eorum egestas, & certe apud Plautum, in prologo Trinummi: Inopia luxuriae filia fingitur.

QUINCTVS

EORVM alterius bona proscripita uidimus, uocem denique audiimus iurantis, se Romae iudicio aequo cum homine Graeco certare non posse; & ex senatu eiektum scimus. Optima uero censorum existimatione, in praetura competitorem habuimus, amico Sabidio, & Panthera, quod ad tabulam, quos poneret, non habebat. Quo tamen magistratu amicam, quam palam domi haberet, de machinis emit. In petitione autem consulatus, cauones omnes hic compilare, per turpissimam legationem maluit, quam adesse, & populo Romano supplicare.

EXPLANATIO

EORVM alterius bona proscripita uidimus § Haecenus de utrisque coniuncte, nunc separatim de singulis. Ac de Antonio prius, cuius aeris alieni magnitudo quanta esset, hinc cognoscimus, Quod eius bona proscripita dicit. nempe a creditoribus. proscripita autem, ut uenderentur. Proscribi enim bona dicuntur, cum fixis publice libellis, uenditio eorum bonorum in diem certam edicitur. sic lib. 3. off. Proscribere aedes. debitorum bona proscribi solere docet. Cic. in orat. pro P. Quinctio. Considerant, quid, & quantum sit, alterius bona proscribere. Atque ad hoc non nihil uidentur facere uerba in orat. Cic. in competitores, ex qua, & ex Pediani in eam commentario, multa sumenda sunt, ad multa ex ijs explicanda. Ille igitur de Antonio loquens, ait; Alter pecore omni diuendito, & saltibus prope addictis, pastores retinet, ex quibus ait se, criminelit, subito fugitiuorum bellum excitaturum. Er. Asconius antea dixerat, senatu motum a censoribus Antonio

nium

nium ob has causas, quod socios diripiisset, quod iudicium recusasset, quod propter aeris alieni magnitudinem, praedia mancipasset, bonaque sua in potestate non haberet. *VOCEM denique audiuimus iurantis* ? Huius loci expositio tota ex iam dicta oratione in toga candida, & Alconio petenda. Cic. Quem clientem habere potestis, (de Antonio loquitur) qui in sua ciuitate cum peregrino negauit, se iudicio aequo certare posse. Ibi Alconius, Antonius multos in Achaia spoliauerat, nactus de exercitu Sullano equitum turmas. Deinde Graeci, quos spoliauerat, eduxerant Antonium in ius, ad M. Lucillum praetorem, qui ius inter peregrinos dicebat, egit pro Graecis etiam tum adolescentulus C. Caesar, & cum Lucillus, id quod Graeci postulabant, decreuisset, appellauit tribunos Antonius, iurauitque se ideo appellare, quod aequo iure uti non posset. De hoc etiam Plutarch. in Caesare. Quod igitur dicit Vocem iurantis, intelligimus apud tribunos, apud quos iurare necesse erat ei, qui appellasset, aequo iudicio certare non posse, quasi aut iudicis iniquitate, aut impotentia aduersariorum opprimeretur. Appellabantur autem tribuni pleb. apud Romanos, sicut hodie in Rep. Veneta Advocatores, quos dicunt Communis, quod eorum potestas magistratum omnium decretis posset intercedere. Cic. lib. 3. de legibus. Plebes, quos pro se, contra vim auxilij ergo decem creauit, tribuni eius sunt, quodque ij prohibessint, quodque plebem rogassint, ratum esto. De huiusmodi tribunorum appellatione, habes etiam in orat. pro P. Quinctio. Appellatur tribuni, a quibus cum esset certum auxilium petitum. Itemque praetor decernebat, tribuni appellabantur. *ET ex senatu eiectum scimus* ? Hoc iam relatam est ex Alconio. Censores hi fuerunt L. Gellius, & Cn. Lentulus, de quibus est in Epitoma Liu. xcviii. Cn. Lentulus, & L. Gellius censores asperam censuram egerunt, quattuor & sexaginta senatu motis. *OPTIMA uero censorum existimatione in praetura competitorum habuimus* ? Apparet haec dicta esse per ironiam. significat enim non meliore fuisse existimatione cum praeturam peteret, quam ante, cum senatu motus est. Quid tamen hoc sit, mihi non constat: hoc certe patet, de eo non satis bene populum existimasse, cum dicat Cic. in orat. in toga candida, se praetorem primum esse factum; Antonium concessione competitorum, & collatione centuriarum, & Ciceronis maxime beneficio, e postremo in tertium locum esse subiectum. Vbi illud obseruandum, censorum notam non potuisse impedire, quo minus alicuius ratio haberetur in petendis magistratibus. Quod legitur in orat. pro A. Cluentio, ubi refert Cic. C. Getam, cum a L. Metello, & Cn. Domitio censoribus ex senatu eiectus esset, censorem ipsum postea esse factum. Nam censoris iudicium nihil fere damnatio affert, nisi ruborem, ut est apud M. Tullium in fragmentis lib. 4. de Rep. *AMICO Sabidio, & Panthera, quod ad tabulam, quos poneret, non habebat.* ? Quam tabulam hic intelligat, dubitant aliqui, utrum auctonariam, an argentarii cuiusdam, an suffragatoriam; ego, quia hic neque de bonis a uentione uenditis, neque de pecunia accepta, aut expensa, & in tabulis relata agitur, sed de petitione magistratus; de tabula, quae ad comitia pertinet, puto accipiendum, neque tamen tabellam accipio illam, qua in cistam coniecta, suffragium ferebatur, quae iuxta libertatis dicitur, in 3. de legibus, sed in qua numerus suffragiorum, quae quisque candidatus tulisset, punctis quibusdam notaretur, quae ipsorum candidatorum amicis, qui ad ea colligenda singulis centurijs praeficiebantur, dabatur, ne quid fraudis in suffragatione admitteretur. Quod pluribus profertur Nicolaus Gruchius de com. Rom. lib. 1. ad quod pertinere uidetur Varronis locus lib. 3. cap. 5. de re rustica. Narraat ad tabulam, cum diribentur, quandam deprehensum, reserulas conijcientem in locum; eum ad consulem tractum a fautoribus competitorum. Pauo surgit, quod eius candidati custos dicebatur deprehensus. Amico ergo Sabidio, & Panthera, quorum opera usus est, cum alios non haberet, quos custodes ad tabulam apponeret, in quo notatur, quam inops ab amicis esset Antonius, qui homines de faece populi, quales putamus Sabidium, & Pantheram fuisse, ad hoc munus adhibuit, cum moris esset honestiores propinquos, aut graues amicos adhibere. Cic. ipse in Pisonis comitijs, primus praerogatiuae custos praepositus est, ut in orat. post reditum in senatu, & in ea in Pisonem legitur, cum lex de reuocando Cicerone ferretur, honoris causa senatores ipsos rogatores, diribitores, custodes, fuisse tabularum. Atque ij priuato nomine uidentur praefuisse. Nam illi, qui Nongenti uocabantur, publice praepositi sunt ad custodiendas cistas suffragiorum in comitijs de quibus Plinius lib. 3. cap. 2. *Quo tamen in magistratu amicam* ? Notauit egestatem, & amicorum inopiam, nunc libidinem, & impudentiam. Quod in magistratu, in quo decet esse continentem, amicam emeris, quod domi palam habuerit, nulla habita pudoris ratione. *De machinis emit* ? Hic locus torsit multos, quod alibi, quid sit de machinis emere non legatur. Ideoque alij idem ualere putant, quod de lapide emere. Alij eminentiorem quandam locum, ubi res uenales exponerentur, mihi in hac ambiguitate uenit in mentem suspicari corruptum esse locum, & pro Machinis legendum Drachmis. Illud uero De numeri notam esse, ut C. L. uel D. quae significet, uel centum quinquaginta, uel quingentas drachmas, quibus empta sit illa mulier, ut ex pretij uilitate personae condicio habeatur, ut facit Thrato Terentianus de ancilla Thaidi dono a riuali missa. Hic sunt tres minae. est uero drachma centesima pars minae, ut obseruat Budaeus, ideoque pro parui ualoris nummo ponitur, ut in fine lib. 1. de Diuinat. Quibus diuitias pollicentur, ab ijs drachmas ipsi petunt. & Terent. in Andria. Vix, inquit, drachmis obsonatus est decem, ut fortasse hic etiam decem drachmis legi possit, sed, ut ut sit, satis est meam me suspicionem indicasse, quam confirmet locus Horat. sat. 7. lib. 2. Vbi de seruo ait, stultior ipso Quingentis empto drachmis deprenderis. *In petitione autem consularis caupones omnes hic compilare.* ? Pertinet haec ad Antonium, item ut superiora, non ad Catilinam, ut aliqui arbitrantur, quoniam de Catilina mox agere ibi incipiet. Alter uero Dij boni. Obiecit uero hoc loco Antonio, cum negligentiam in petendo, quod obire legationem tum uoluerit, cum petendum esset, tum ingluuiem, & rapacitatem, quippe, qui in ea legatione cauponum, ad quos diuerterat, bona compilauit, ac diripuerit, dum sibi, ut populi Rom. legato, quae uellet, sine suo sumptu iuberet subministrari. Sed est in hac tota sententia, quod

quod negotium faceſſat. ⁷ Hic, quod neque aduerbium dicere poſſumus, cum opponatur uerbo illi, Ad eſſe, & ideo contrarium aliquid ſignificare debeat: neque pronomen, quia neque Antonij nomen referre opus eſt, quod per ſe fatiſ intelligitur, neque Catilinae, de quo non hic, ſed paulo poſt agitur, itaque aut, ut ſine cauſa intruſum, tollendum, aut, ſi pronomen aliquod interponendum ſit, Idem potius, quam Hic, admittendum. **PER turpiſſimam legationem.** § Munus legationis per ſe non eſt turpe. ipſe etiam Cic. petitionis ſuae anno, qui fuit idem, qui & Antonij, ſe ad Piſonem excurrere legatum uelle dixit, epiſt. 1. lib. 1. ad Att. legatione nimirum libera. at eadem res diuerſis de cauſis ſuſcepta, modo turpis, modo honeſta uideri poteſt. Turpiſſima igitur Antonij legatio, uel quia non aliam ob cauſam, niſi ut caupones compilaret, eam ſuſcepit. Legatis enim, & magiſtratus P. R. procul ab Vrbe proficiſcentibus, quaedam publice praebentur, ab ijs, qui parochi dicebantur, ut apud Horat. ſat. 5. lib. 1. uel quia turpiſſime obita ſit. orat. pro Fonteio, legationibus flagitioſe obitis.

QVINCTVS

ALTER uero, dii boni, quo ſplendore eſt? Primum nobilitate eadem, qua Catilina. Num maiore non, ſed uirtute. Quamobrem, qui inaniſ umbram ſuam metuit, hunc negliges quidem, natum in patris egeſtate, educatum in ſororis ſupriſ, corroboratum in caede ciuium. Cuius primus ad remp. aditus in equitibus Rom. occidendis fuit. Nam illis, quos

meminimus, Gallis, qui tum Titiniorum, ac Vanniorum, ac Tanuſiorum capita demebant, Sulla unum Catilinam praefecerat, in quibus ille hominem optimum Q. Caecilium, ſororis ſuae uirum, equitem Romanularum partium, cum ſemper natura, tum etiam aetate iam quietum ſuis manibus occidit.

EXPLANATIO

ALTER uero, dii boni. § Haec de Catilina dici, libris omnibus, quos uidi, & hominibus etiam, quos eſſe aliquos ſcio, inuitis contendo. Nam cum ambos ſimul propoſuerit, & mox dicturus de ſingulis coeperit, Eorum alterius &c. atque ea dixerit, quae omnia in Antonium conueniant, neceſſe eſt, ut, cum iam ad alterum tranſeat, haec omnimode de Catilina ſcripta ſint, cum praefertim ea dicat, quae ab ipſo Catilina facta plene conſtat. Et licet nominatur in ijs uerbis Catilina, tamquam comparatur cum illo altero, de quo uidetur fermo inſtitutus: tamen non dubito, quin ex hoc loco eicienda ſit uox illa, Catilina, & pro ea, admittenda Antonius. Videtur enim irrepiſſe in textum errore librarij, qui uiderat adſcriptum in margine, Catilina, ut indicaret hic de Catilina agi. Nam & ſimile mendum notatum eſt in ep. 3. 2. lib. 7. Fam. Vbi per Antonij perſonam diſputatum eſſe dicit de ridiculis, cum Iulius, non Antonius, de ridiculis diſputauerit, in 2. de orat. **ALTER uero, dii boni.** § Similis exclamatio in orat. pro P. Sextio ubi de Gabinio agit. Alter, o dii boni, quam taeter &c. **QVO ſplendore.** § qua dignitate, quo honoris gradu. Splendor autem completur nobilitatem, opes, uirtutem. **PRIMUM nobilitate eadem, qua Catilina.** § Qua C. Antonius, legendum putat Paullus Mannuccius, aliter enim Catilina cum Catilina comparabitur, de quo ſermonem eſſe, indicant uerba ſubſequentia. Vel igitur, Qua C. Antonius, legendum putat, uel abuudare credit, Qua Catilina. **PRIMUM nobilitate eadem, qua Antonius.** § Haec ironice dicta ſunt. non enim confert ſe uera generis nobilitatem, ſed, dum agere de ea uidetur, inuit procul dubio eos eſſe, ut ad extremum dicet, non tam genere inſignes, quam uitijſ nobiles. **NUM maiore non, ſed uirtute.** § Si quis attente cogitet, non dubito, quin uideat, otioſam eſſe hanc interrogationem, Num maiore? ſi ad nobilitatem referas, quam in utroque iam parem dixit. Quid ergo? uideor mihi propemodum coniectura attingere, ut hic aliquid deſit. nam cum his non minus egeſtatem obijciat, quam pleraque grauiffima uitia, atque ideo antea ambos ſicarios, ambos libidinoſos, ambos egeſtes appellarit, hic in commemoranda (licet per ironiam) nobilitate, & uirtute, non erant omittendae diuitiae, quarum opportune fiet mentio, ſi legamus Non maiore re? fuit autem ueniuſtum incrementum, ut primum dicat, Catilinam nobilitate parem Antonio, mox quaerat num opibus ſit ſuperior; & per ſubiectionem reſpondendo neget, demum addat, uirtute illum ſuperare, nempe flagitijs, audacia, & crudelitate, in qua Catilinam Antonio praefitiſſe apparet. Fuit uero procliue ſcriptoribus omittere illud Re, quae erat ſyllaba eadem, cum praecedentis uerbi poſtrema. Neque non alibi ſaepe hoc modo peccatum eſt. Nam quod attinet ad uerba, Maiore re, pro maioribus opibus, recte dici nemo neſcit, qui nouit, quid ſit Rem facere, Rem augere, & illud in Catone maiore, Vir haud magna cum re. **QUAMOBREM qui inaniſ umbram ſuam metuit, hunc negliges quidem.** § Collector prouerborum Umbram ſuam metuere dicit, prouerbialiter eſſe, pueriliter trepidare, ubi nihil omnino ſit periculi. mox, id quod omnes uident, locum deprauatum eſſe ait, & corrigit, Quamobrem, qui manium umbram ſuam metuit &c. Intelligitq. Catilinam ita expanſeſcere, ut qui arbitrantur ſe ſuos uidere manes. ſed longe mihi melior eorum correctio uidetur, qui legunt, Quamobrem C. Antonius umbram ſuam metuit, hic ne leges quidem: natus in patris egeſtate, educatus in ſororis ſupriſ, corroboratus in caede ciuium. Optime enim cum dixerit, Catilinam maiore audacia eſſe, quam Antonium, ſubdit, quod ſit ad utriuſque naturam accommodatum, nempe Antonium timidiſſimum eſſe, qualem ante deſcripſit, cum Romae, cum homine Graeco iudicio certare non auſus ſit. Hunc audaciſſimum, qui ne leges quidem timeat. Quam ſententiam non nihil adiuuat ſcriptus liber, quem mihi Aldus Mannuccius commodauit, iuuenis in benemerendo de optimis ſtudijs, a patris, atque aui ueſtigijs nequaquam, ut norunt

norunt iam omnes, recedens, in quo legitur, Natus, Educatus, Corroboratus recto casu, ut conueniat cum eo, Ne leges quidem metuit. accedit & locus Cic. in prima orat. in Catilinam: Tu non solum ad negligendas leges, & quaestiones, uerum etiam ad euerendas, perfringendasq; ualuit. *Natus in patris egestate.* De egestate Catilinae omnes loquuntur, de patris eius non facile inuenias. Sallust. in Catil. Agitabatur magis, magisque in dies animus ferox inopia rei familiaris. *In sororis stupris.* De sororis stupro, non alibi legitur, sororem habuisse mox uidebimus: sed, qui libidinis causa filium non dubitabit occidere, ne a fororis quidem concubitu abstinebit. hinc Cic. orat. 2. in illum: Quae caedes per hosce annos sine Catilina facta est? Quod nefarium stuprum non per illam? & in orat. in toga candida: Stupris se omnibus, ac flagitijs contaminauit; caede nefaria cruentauit; diripuit locos, leges, quaestiones, iudicia uolauit. *CORROBORATUS in caede.* Hoc probant ea, quae subsequuntur. sed notandum tale incrementum factum in uitijs Catilinae, quale solet in uita hominum a natura esse. primum enim nascimur, mox educamur, tum corroboramur, immo etiam de ipsa arte Cic. in 2. de orat. Quae sunt orta iam in nobis, & procreata educat, atque confirmat. *CVIVS PRIMUS ad remp. aditus in equitibus Romanis occidendis fuit.* Nimirum sub Sulla, in cuius partibus Catilina fuit, equites uero Romani contra Sullam, ut ait Alconius in orat. in toga candida. Ideoq; in ea Cic. A quibus enim petis consulatum? ab equestri ordine, quem trucidasti? *NAM illis, quos meminimus, Gallis, qui tum Titiniorum, ac Vanniorum, ac Tanusiorum, capita demebant, Sylla unum Catilinam praefecerat.* Legimus apud Dionem lib. 37. Catilinam accusatum fuisse, quod proscriptorum multos occidisset, atque in iudicio absolutum. *QVOS meminimus.* Nam haec uiginti fere annis, antequam haec scriberentur, acciderant. *TITINIORVM.* Titinij nominantur a Cicerone in lib. 9. ep. ad Att. a T. Litio lib. 5. *VANNIORVM.* In scriptis est Nanniorum, & Nanniorum. P. Mannuccius in commentarijs ep. ad Att. libri primi, Nanneiorum legit. *TANUSIORVM.* Videndum, num Tanasiorum legendum sit, quandoquidem Alconius inter eos, qui a Catilina occisi sunt, L. Tanasium ponit. *IN quibus ille hominem optimum Q. Caecilium sororis suae uirum equitem Rom.* Inter alios a Catilinae occisos nominat Alconius etiam Q. Caecilium. ideoq; nihil mutandum arbitror, licet in scriptis non uno modo sit scriptum hoc nomen. *NULLARVM partium cum semper natura, tum.* Haec ad augendam facti indignitatem; Nullarum partium, qui nec Sullanos, nec Marianos secutus esset, sicuti M. Tullius ciuem bonarum partium appellat, C. Coelium in orat. pro eo, quod bonis adhaereat, hominem nullarum partium nunc uulgo Neutralem dicimus Ep. 3. lib. x. Famil. Tum uero non liceret mihi nullius partis esse. Cic. huiusmodi homines appellat Otiosos, qui in dissensionibus ciuilibus soli quiescant, ep. 6. lib. 9. Fam. & lib. 11. ad Att. Satis autem constat apud Plutarch. in Sulla, & Vell. lib. poster. in proscriptione Sullana, infantes multos propter priuatas uel inimicitias, uel opes fuisse interfectos. *SUIS manibus.* Magni odij signum, quod non per alios. sic illud magni amoris: Ipsa suis manibus quondam Sidonia Dido Fecerat. Virg. lib. 4. Paulo post de caede Marij, collum gladio sua dextra secuerit. Item caput sua manu tulerit.

QVINCTVS

QUID ego nunc dicam petere eum tecum consularim, qui hominem carissimum pop. Rom. M. Marium, inspectante pop. Rom. uirgis per totam urbem ceciderit? ad bustum egerit? ibi omni cruciatu lacerarit? uiuo stanti collum gladio sua dextra secuerit? cum sinistra capillum eius a uertice teneret, caput sua manu tulerit, cum inter digitos eius riuus sanguinis fluere; qui postea cum histrionibus, & cum gladiatoribus ita uixit, ut alteros libidinis, alios facinoris adiutores haberet. Qui nullum in loco tam sanctum, ac tam religiosum accessit, in quo non, etsi in alijs culpa non esset, tamen ex sua nequitia dedecoris suspicionem relinqueret; qui ex curia Curios, & Annios; ab Atrij Sapalas, & Caruilios; ex equestri ordine Pompilios, & Cnaeos, sibi amicissimos, comparauit. Qui tantum habet audacia, tantum nequitiae, tantum denique in libidine artis, & efficacitatis, ut parentum, prope in gremijs practextatos liberos constuprarit.

EXPLANATIO

PERGIT in describendis crudelibus Catilinae facinoribus, atque in uno praecipue immoratur. Quod ita oratorie describit, ut oculis paene subijciat. Illud autem est, M. Marij Gratidiani caedes. De qua Plutarch. in Sull. Catilina M. Marium aduersae factionis hominem confodit, & ad Sullam in foro sedentem caput eius attulit. *HOMINEM carissimum pop. Rom.* De hoc M. Tullius lib. 3. offic. Nemo umquam multitudini fuit carior, omnibus uicis statuae factae sunt. Ad eas thus, & cerei. & in orat. in toga candida. Inspectante populo collum secuit hominis maxime popularis. Quo igitur erat clarior, eo debuit Catilina esse inuisor. Ideo in eadem orat. ut ostenderet, non esse, cur ille petere consulatum auderet, dixit, A plebe petis? Cui spectaculum eiusmodi tua crudelitas praebuit, ut nemo sine luctu adspicere, sine gemitu recordari posset. *UIRGIS per totam urbem ceciderit.* Non nudo uulgatam lectionem, etsi in scriptis sit Viribus; ex quo aliqui Vitibus fecerunt. neque tamen ignoro, solitos esse interdum uiribus milites caedi, ut Plin. lib. 14. cap. primo. & Iuuen. sat. 8. Verum hoc non in urbe, sed in castris, neque a quouis ciue, sed a centurione gerebatur. Praeterea uiribus caedebantur, qui ciues erant, minoris ignominiae causa, ut in epitoma 57. Scipio, quem

Kk militem

militem extra ordinem deprehendit, si Romanus esset, uiribus; si extraneus, uirgis cecidit. Quam rationem non erat habiturus Catilina in Mario, quem omnibus modis lacerare studebat. *Ad bustum egerit.* § Bustum dicitur locus, in quo mortuus est combustus, & sepultus. Fest. Pomp. Quod igitur Bustum hic intelligimus? Catuli. L. Florus lib. 3. M. Marius ducis ipsius frater, apud Catuli sepulcrum, oculis, manibus, cruribusq; defossis, seruatus aliquandiu, ut per singula membra moreretur. *Ibi omni cruciatu lacerarit.* § Seneca lib. 3. cap. 18. de ira, M. Mario, L. Sulla perfrangi crura, erui oculos, amputati manus iussit, & quasi toties occideret, quoties uulnerabat, paulatim, & per singulos artus lacerauit. Quis erat huius imperij minister? quis, nisi Catilina omne facinus in Mario exercens? sic illum ante bustum Q. Catuli carpebat. Val. Max. lib. 9. cap. de crudelitate, & Orofius lib. 5. cap. 21. Liuius in epit. 88. *V1VO, stanti collum gladio sua dextra &c.* § Haec dicuntur per hypotyposin, qua ita res uerbis expressae sunt, ut cerni potius uideantur, quam audiri. Itaque singula uerba ponderanda, nam unicuiq; sua uis inest, neque ab ijs abhorrent ea, quae scripsit Virg. de nece Priami lib. 2. Aeneid. *QVI postea cum histrionibus.* § Nunc de libidine, & nequitia. Histrionia ars turpis apud Romanos, FF. De his qui notantur infamia. Ait Praetor, qui in scenam prodierit, infamis est. & M. Cic. lib. 4. de rep. in fragmentis idem asserit. in orat. etiam pro Roscio Comoedo. Optimo histrione, & uiro, artifex, eiusmodi est, ut solus dignus uideatur, qui eo non accedat. Horum commercio uiri molles, & lasciuui delectati sunt, ut de Sulla Plutarch. sodalicia cum mimis, mulierculis, citharoedis, scenicis hominibus agitabat. & de M. Antonio Cic. in Philippicis: Quod uero hic de Catilina dicit Q. Cic. eadem fere dicit M. in orat. 2. in eundem. Nemo est in ludo gladiatorio, paullo ad facinus audacior, qui se non intimum Catilinae esse fateatur. Nemo in scena leuior, & nequior, qui se non eiusdem prope sodalem fuisse commemoret. *QVI nullum in locum tam sanctum.* § Sallust. iam pridem adolescens Catilina multa nefanda stupra fecerat cum uirgine nobili, cum sacerdote Vestae, & alia huiusmodi contra ius, fasque. sed huius loci expositio ex orat. in toga candida sumenda est, ad ea uerba, Cum ita uixisti, ut non esset locus tam sanctus, quo non aduentus tuus, etiam cum culpa nulla subesset, crimen afferret. Ibi Asconius: Fabia uirgo Vestalis causam incesti dixerat, cum ei Catilina obijceretur, eratq; absoluta haec Fabia, quia soror erat Trecentiae Ciceronis, Ideo sic dicit, Etiam si culpa nulla subesset. Ita & suis pepercit, & nihilo leuius inimico summi opprobrij turpitudinem obiecit. *TAMEN ex sua nequitia dedecoris suspicionem &c.* Talis enim erat, & habebatur Catilina, ut & ad quos ille occideret, & qui ad se accederent, ijs ex sua consuetudine turpitudinis notam adspargeret. Hinc Sallust. Scio fuisse non nullos, inquit, qui ita existimarent, iuuentutem, quae domum Catilinae frequentabat, parum honeste pudicitiam habuisse. Sed ex alijs rebus magis, quam quod cuiquam id compertum foret, haec fama ualebat. *QVI ex curia Curios.* § Haec de comitibus Catilinae, ex omni ordine, & genere collectis, qui omnes, quales fuerint, uno, aut altero posito, intelligi uult. eos uero aperissime descripsit Sallust. Quicumque impudicus, adulter, ganeo, uentre, manu, pene, bona patria dissipauerat, quiq; aes alienum grande conflauerat, quo flagitium, aut facinus redimeret; praeterea omnes undiq; patriciae, sacrilegi, conuicti iudicij, aut pro factis iudicium timentes; ad hoc, quos manus, atque lingua periurio, aut ciuili sanguine aiebat; postremo omnes, quos flagitium, egestas, conscius animus exagrabat: hi Catilinae proximi, familiareq; erant. Per Curios igitur, Annios, & Sapalas, huiusmodi homines accipiendi sunt. & de Curio quidem Alcon. in orat. in compet. Curius hic notissimus fuit aleator, damnatusq; postea est. Sallust. in ea coniuratione fuit Q. Curius, natus haud obscuro loco, flagitijs, atque facinoribus coopertus, quem senatu censores probri gratia mouerant. Atque hic est, per quem detecta est coniuratio. Quaesuit autem ornatum ex annotatione, ex curia Curios. ut M. Tul. lib. 1. de leg. Ad Venonium uenias. Et Annios. § Q. Annium significat, quem simul cum Curio ex senatorio ordine, participem fuisse coniurationis Sallust. naruat. *Ab Atrij Sapalas, & Caruilios.* § Atrij haec sunt loca, in quibus bona obaeratorum diuendebantur, quae ob id auctionaria dicta sunt. Cic. prima orat. in Rullum: Hoc etiam nequissimi homines consumptis patrimonijs faciunt, ut in Atrijs auctionarijs, potiusquam in Triuijs, aut in compitis auctionentur. Per hos ergo putamus intelligi homines egentes, quorum bona in ijs Atrijs uenissent, aut qui uide aliquod officium in ijsdem exercuissent. ut praeconium, aut quid tale. Cic. orat. pro P. Quinctio: Tollitur ab Atrijs Licinij, atque e praeconum confessu Nauius. *SAPALAS.* § In uno scripto est Exiltrapalas, omnino nomen ignotum. Ex *equetri ordine Pompilios, & Cnaeos.* § Hi, qui fuerint, ignoramus, in uoce Cneios, aliqua uarietas est in scriptis, sed uideo placere doctis Cnaeos, qui etiam obseruarunt Cnaeos, Gentem a praenomine Cnaeo deductam. *COMPARARIT* § Aldi codex scriptus, Comparauit, Quod probat. *QVI tantam habet audaciae.* § Dicitur est antea de Catilinae libidine, sed seruauit in extremo factum in re Venerea tam audax, quam nefandum, quod hyperbolice uidetur augere, sed ita, ut non longe absit a ueritate, si Catonis in illum declamatio legati, qui eius domum, sacrarium libidinum, appellauit. Nam quod in parentum gremio stupratos liberos dicit, intelligimus ipsis parentibus (pro pudor) consentientibus; uel quod & ipsi ex Catilinae gregibus essent; uel quod ab eius uastro ingenio, ut multi boni decepti, filios domum eius frequentare non prohiberent. Atque ideo dixisse puto, tantum artis, & efficacitatis habere. *EFFICACITAS.* § Verbum rarum, sed tantum uim sono ipso habens, quantum re significat, uerba autem materiae modo cernenda sunt. *Quinct. lib. 8. PRAETEXTATOS.* § Impuberes, qui toga praetexta utebantur, usque ad decimum septimum aetatis annum, cum sumebant puram togam. Cic. de amicitia, Summi puerorum amores, saepe una cum praetexta sumpta toga, deponuntur. *CONSTRUPRARIT.* § satis erat dicere stuprarit, sed & sonum, & rem illud conuiget, ut in Consceleratus, Contrucidare, ac uideo hunc scriptorem uerbis ita compositis delectatum, ut infra Concerno, Commonendo, Concelebrare.

QVINCTVS

QUID ego nunc tibi de Africa, quid de testium dictis scribam? nota sunt. & tu ea saepius legito. sed tamen hoc mihi non praetermittendum uideatur, quod primum tam egens ex eo iudicio discessit, quam quidam iudices eius, ante illud iudicium fuerunt; deinde tam inuidiosus, ut aliud in eum iudicium quotidie flagiteris. Hic se sic habet, ut magis timeat, etiam si quieverit, quam ut contemnat, si quid commouerit.

EXPLANATIO

DE Africae administratione, & de illius accusatione, haec habentur apud Asconium. Catilina ex praetura Africam prouinciam obtinuit, quam cum grauius uexasset, legati Afri in senatu, iam tum absente illo, questi sunt, multaeque graues sententiae, in senatu de eodictae sunt. Deinde cum redisset ex Africa, accusatus est repetundarum a P. Clodio adolefcente, qui postea inimicus Ciceronis fuit. Sed eo iudicio absolutus est, infamia iudicium. Ut & Clodius infamis fuerit, quippe qui praeuarius est. Nam & reiectio iudicium ad arbitrium rei uidebatur esse facta. De hoc in orat. pro M. Coelio: Fuit assiduus mecum praetore me, non nouerat Catilinam, Africam tum praetor ille obtinebat, securus est annus; causam de pecunijs repetundis Catilina dixit. Sall. Catilina pecuniarum repetundarum reus, prohibitus erat petere consulatum, quod intra legitimos dies profiteri nequiverit. in orat. de harusp. responsis: A Catilina Clodius pecuniam accepit, ut turpissime praeuarius eorum. Et ea tu saepius legito. Ut intelligas ab huiusmodi competitore esse tibi nihil timendum. nam licet absolutus sit, ex testium dictis, qualis sit, apparet. in orat. in toga candida. In iudicijs quanta uis esset, didicit, cum est absolutus; si aut illud iudicium, aut illa absolutio nominanda est. TAM egens ex eo iudicio discessit. Dam multa ad corruptendos iudices largitur. sic de Clodio in orat. de haruspicum responsis: Nisi forte tibi ignotum putas, quod te iudices dimiserunt excussum, & exhaustum: Discedere ex iudicio. Dimitti a iudicibus. orat. pro P. Quinctio Discedere superiorem. Diuin. in Verr. Discedere cum scelere, & pro A. Caecina Superiorem discedere. Modum esse loquendi Graecum obseruauit P. Victorius Var. lect. lib. 5. cap. 2. QUAM quidam iudices eius ante illud iudicium. Videntur ij iudices fuisse, quales qui Clodium absoluerunt, quos fames magis, quam fama commoueret, ut est lib. 1. ep. 14. ad Atticum. De quibus illic etiam legitur: Maculosi senatores, nudi equites, tribuni non tam aerarij, ut appellantur, quam aerati. DEINDE tam inuidiosus. Inuilius, quia corrupto iudicio absolutus sit. UT ALIUD, in eum iudicium. Cic. in toga candida. O miser qui non sentias, illo iudicio te non absolutum, uerum ad aliquod seuerius iudicium, ac maius supplicium referuatum. Item in Clodium. Erras Clodi, non te iudices urbi, sed carceri referuauerunt. ep. 14. lib. 2. ad Att. UT ALIUD iudicium. Non quidem repetundarum, a quo iam absolutus sit, sed corrupti iudicij. Quo damnari uidentur potuisse & corrupti iudices, & corruptores eorum, & sequestres, & interpretes, & emissarij, ut est apud Ascon. in Diuin. Flagitetur autem, & ardentur, & ab omnibus. Hic se sic habet ut magis. Non timendum est, inquit, ut aliquid commoueat, & consulatum per largitionem adipisci pareat. Nam tantum abest, ut contemnat accusationem, si aliquid huiusmodi tentarit; ut timeat, ne accusetur, etiam si nihil egerit. Hic se sic. In non nullis editum uideo, Res se sic habet. quod nec improbo, nec tamen magnam mutandi causam puto.

QVINCTVS

QVANTO melior tibi fortuna petitionis data est, quam nuper homini nouo C. Coelio? Ille cum duobus hominibus, ita nobilissimis perebat, ut tamen in ijs omnia plura essent, quam ipsa nobilitas. Summa ingenia, summus pudor, plurima beneficia, summa ratio, ac diligentia petendi. Tamen eorum alterum, cum deesset alter: Coelius etiam multo esset inferior genere, superior nulla re paene, superauit. Quare, si facis ea, quae tibi natura, & studia, quibus usus es semper, largiuntur: Quae temporis tui ratio desiderat: Quae potes, quae debes, non erit difficile certamen, cum ijs competitoribus, qui nequaquam sunt tam genere insignes, quam uitijs nobiles. Quis enim reperirit am probus ciuis potest, qui uelit uno suffragio duas in remp. sicas distringere? Quoniam igitur, quae subsidia nouitatis haberes, & habere posses, exposui, nunc de magnitudine petitionis dicendum uideatur.

EXPLANATIO

QVANTO melior tibi fortuna. Hoc exemplum eo adductum est, ut rationem petitionis, ob competitorum uitia facilem probet. NUPER. Ante xxx. annos. appellatur hic C. Coelius Crassi aequalis, & homo ibidem nouus in 1. de orat. ILLE cum duobus hominibus ita nobilissimis perebat. Erant, inquit, competitores Coelii nobilissimi homines, sed ita, ut non nobilitate sola eorum petitio niteretur, uerum multo magis uirtutibus, ac diligentia. Et tamen superior existit Coelius: ex quo uidere licet, quid sperandum sit Ciceroni, qui competitores habeat nobiles quidem, sed uitijs obrutos. IN IJS omnia plura essent. cetera omnia, praeter nobilitatem, plura aestimanda essent, quam ipsa nobilitas: Haec autem erant, ingenia, pu-

dor, beneficia &c. **BENEFICIA.** § In populum collata, propter quae suffragatores propensiores haberent. **TAMEN eorum alterum, cum deesset alter, Coelius etiam cum multo.** § Qui fuerint illi duo, quibuscum Coelius consulatum petierit, quaeri uideo. ego ut de utroque respondere non possum, sic de altero nihil dubito, quin fuerit L. Domitius, qui cum eodem, consul factus est: quem ideo superatum a Coelio dixit, quoniam prior fortasse, consul renunciatus sit. qui locus omnino erat dignior. itaque numquam omittit Cic. dicere, se priorem aedilem, primum praetorem, priorem item consulem factum esse. licet autem suspicari Coelium priorem renunciatum, quod & in fastis Capitolinis, & apud Cassiodorum priore loco ponitur. **CVM deesset alter.** § Hoc quid sit, ignoratur a multis, neque fortasse est adeo obscurum. innuit ex duobus Coelii competitoribus, unum abfuisse, quo tempore sunt lata suffragia. Ideoque non potuit dicere utrumque a Coelio superatum, sed unum tantum, cum alter deesset. Sed hoc uerbum Deesset, non plane satisfacit, nam potius Abesset dicendum fuerat. arbitramur igitur legendum Decesset per syncopen, id est mortuus esset. quomodo correxit in hoc ipso uerbo olim. in ep. 20. lib. 5. fam. Paul. Mannuccius: Quod iam depositis rationibus ex provincia decessimus. & ut est apud Terentium in prologo Heautontim. Seruo currenti in uia decessit populum. Atque hanc correctionem nostram probauit sine dubitatione Adamus Fumanus, uir longe iudicio, & integritate praestans, quem ego honoris causa nominatum uolo. **QUARE si facies ea.** § Epilogus huius primae partis de subsidijs nouitatis. **QUAE potes, quae debes.** § Ad duo praecedentia uerba respondent. Potes, quia natura, & studia largiuntur. Debes, quia ratio temporis desiderat. Natura, & studia simul iuncta plurimum ualent. ut ep. 3. lib. x. Fi. Natura mea, & studia trahunt me &c. Tempus uero pro necessitate, & praesenti negotio ponitur. sic in prooemio lib. 2. off. Quantum super fuerat amicorum, & reip. temporibus, & in orat. pro Archia: A nullius me umquam tempore, aut commodo, aut otium meum abstraxerit. &c. Et infra, Si hoc tuo tempore non satisfecerint. **NON erit difficile certamen cum iis competitoribus.** § Scripti omittunt particulam Cum. **QUI nequaquam sunt tam genere insignes, quam uitij nobiles.** § Quos quam extollit nobilitas, tam deprimunt uitia: Nobiles uitij, bene elegit uocabulum medium, Nobile: quo significatur, quidquid in re, uel bona, uel mala ita notum sit, ut excellat. Quare orat. 4. in Verr. dicitur. Facinus nobile: Et lib. 2. off. Nobilitata Phalaridis crudelitas. Itemque nobilis meretrix, nobilis gladiator. **QUIS enim reperiri tam improbus?** § Vix uerisimile putat, ut aliquis eis suffragetur, quos reip. perniciosos fore intelligat. **VNO suffragio.** § Non poterat quis una tabella utrisque suffragari. Nam in suffragijs ferendis, tot tabellae, quot erant candidati, dabantur: Sed idem est, quod unis comitijs, & uno tempore tabellis in cistam coniectis. De quo more Nic. Gruchius de comitijs. **DVAS in remp. ficas distingere.** § Per ficas metonymice, homines sicarios. id est Catilinam, & Antonium intelligit, qui quasi duae ficae essent futuri contra remp. si consules crearentur. Hic autem loquendi modus est etiam apud M. Cic. in orat. in toga candida, Duas uero tempore conantur in remp. ficas distingere. in orat. 3. in Catil. Gladios in remp. districtos retundimus. **QUONIAM igitur quae subsidia.** § Transito ad secundum huius tractatus caput.

QVINCTVS

CONSVLATVM petis, quo honore nemo est, qui te non dignum arbitretur, sed multi, qui inuideant. Petis enim homo ex equestri loco, summum locum ciuitatis; atque ita summum, ut forti homini, diserto, innocenti, multo ille idem honos plus amplitudinis, quam ceteris afferat. Noli putare eos, qui sunt eo honore usi, non uidere, tu, cum idem sis adeptus, quid dignitatis habiturus sis. Eos uero, qui consularibus familijs nati, locum maiorum consecuti non sunt, suspicor tibi, nisi qui admodum te amant, inuidere. Etiam nouos homines praetores existimo, nisi qui tuo beneficio innecti sunt, nol-

le abs te, se honore superari. Iam in populo, quam multi inuidi sunt: quam multi consuetudine horum annorum ab honoribus nouis alienati, uenire tibi in mentem certo scio. esse etiam non uullos tibi iratos ex ijs causis, quas egisti, necesse est. Iam illud tu te circumspicito, quod ad Cn. Pompeij gloriam augendam tanto studio te dedisti, num quos tibi putes ob eam causam esse amicos. Quamobrem, cum & summum locum ciuitatis petas, & uideas esse studia, quae tibi aduersentur, adhibeas necesse est omnem rationem, & curam, & laborem, & diligentiam.

EXPLANATIO

CONSVLATVM petis § cum quadam emphasi hoc dictum est. idem enim ualeat, ac si rem maximam diceret, quam summo etiam labore uix consequi possit. Id quod a Quinto consulto factum est, ut intelligat Cicero, eo maiorem adhibendam diligentiam, quo res difficilius est. augeamus suspicionem, augebimus simul & diligentiam, inquit in orat. pro Marcel. Difficultatem uero duobus praecipue modis ostendit, & ex rei magnitudine, & ex aduersantium studiis. Atque in hac ratione duo genera hominum spectanda illi proponit, aduersarios alios, a quibus caueat; alios amicos, quorum auxilio utatur. De aduersariis primum. Aduersantur alij inuidia impulsij; ut sunt consulares homines; consularibus familijs nati. Noui homines praetorii, quod aegre ferant Ciceronem tantum dignitatis adipisci. Alii etiam ira: Vel horum annorum consuetudine alienati. Vel irati ob alias actas causas. Vel inimici, quia Pompeium ornent. **NEMO est, qui te non dignum arbitretur, sed multi qui inuideant.** § Simul spem, simul timorem iniicit: neque enim potest non sperare, qui scit se dignum putari; neque non timere, qui putat sibi inuideri. quamquam & in ipsa inuidia est testimonium

stimonium uirtutis cuius esse inuidiam comitem dicunt. cum contra ignauis nemo soleat inuidere, ut est apud Plautum in Bacchidibus. *PETIS enim homo ex equestri loco, summum locum ciuitatis.* § Tamquam antitheta ponuntur haec: equestri loco, summum locum. Ac si dicat, petis plus, quam tibi uideatur conuenire: quod non ex summum, summum petas. *Ex equestri loco.* § Cuius pater eques fuerit, ipse in senatum primus lectus sit. sic 1. orat. in Rull. *Quem equestri ortum loco consulem uidet; & quidem solus ex omnibus competitoribus, ut ait Alcon. in argum. orat. in competit. & orat. pro Cn. Plancio. Mihi equitis Romani filio. SUMMUM locum.* § Id est consulum. Honorum enim populi finis est consulatus. Ut in orat. pro Cn. Plancio. *Infra iterum, summum locum appellat consulatum. ATQUE ita summum, ut forti.* § Haec est inuidiae causa. Ait enim Arist. lib. 2. Rhet. *tolere homines ei inuidere, qui si uoti compos fuerit, ac bene rem gesserit, ipsi dedecus suscipient. UT forti homini, deserto, innocenti.* § Habebit enim, ubi uirtutem suam ostendat, ex sententia Biantis: *Magistratus uirum declarabit. NOLI putare eos, qui sunt eo honore usi, non uidere.* § Etenim honorum gradus summis hominibus, & infimis sunt pares, gloriae dispares, itemque. Est in uirtute multis adscensus, ut is gloria maxime excellat, qui uirtute plurimum praestet. pro Cn. Plancio. *TV CVM idem.* § Idem dixit genere neutro. cum ante eo honore dixerit, uidebatur ergo dicendum, Eundem. sed Latini saepe sic solent. Terent. in Hecy. act. 3. se. 1. *Tot meas iniurias, quae nullo unquam patefecit loco. Cic. epist. 9. lib. 1. fam. Tota uero interrogatio mea nihil habuit aliud, nisi reprehensionem illius tribunatus, in quo omnia dicta sunt libertate, animoq. maximo. & ep. 8. lib. 2. Nullis in alijs, nisi de reip. sermonibus uersatus sum, quae nec possunt scribi, nec scribenda sunt. Eos uero, qui consularibus familijs nati.* § Alterum genus inuidorum, eorum est, qui putant sibi magis, quam Ciceroni, consulatum deberi, quod sint ex parentibus nati, qui ante gesserint consulatum. Verfatur autem praecipue inuidia in ijs, quae homines appetunt, & putant conuenire se habere. Arist. lib. 2. Rhet. *CONSULARIBVS familijs* § In quibus consulatus fuerit. orat. pro Cn. Plancio. *Quaeristi utrum mihi putarem equitis R. filio, faciliorem fuisse ad adipiscendos honores uiam, an futuram esse filio meo, qui esset familia consulari. NISI qui admodum te amant* § Recte hos excipit. nam, qui amat, laetatur commodis, & condolet incommodis eius, quem amat. ut Arist. lib. 2. Rhet. *Inuidus uero contra protus facit. ETIAM novos homines.* § Causa inuidiae in ijs est, ipsa honorum contentio. nam, quoniam homines cum competitoribus, & rualibus, & omnino eadem expetentibus, de honore contendunt, fit, ut ijs potissimum inuidere necesse sit. Arist. *NOVOS homines praetorios.* § Quasi dicat, qui tibi pares sunt. nam inter hos etiam uiget inuidia: Cic. 2. de orat. *Inuident homines maxime paribus, aut inferioribus, cum se relictos sentiunt, illos autem dolent euolasse. & Arist. lib. 2. ubi de stomach. NISI qui tuo beneficio iuncti.* § Ut propter beneficia te amare cogantur. Legitur autem, & iuncti, & uincti, & utrumque recte. Nisi rectius sit uincti. *IAM in populo.* § Vno uerbo homines obscuros complectitur, qui & ipsi inuideant. Mox de ijs, qui irati esse possint, agit. *QUAM multi consuetudine horum annorum ab honoribus nouis alienati:* § Interpretantur non nulli, ab honoribus nouis, pro ab hominibus nouis, quibus honores darentur. ego ueram lectionem puto esse Ab hominibus nouis. nam & Honores pro hominibus durum est; & pro Hominibus, scribere Honoribus proclue fuit. Quae sit autem horum annorum consuetudo, mihi non est compertum; nisi dicat multos alienatos ab hominibus nouis, propter Marium, nonum hominem, & alios eius generis, qui ciuiles dissensiones excitant, & insolenter se gesserunt. & sane homines in diuitijs, & potentia noui insolentiores esse solent. Arist. lib. 2. Rhetoricorum. *VENIRE tibi in mentem certo scio.* § Hic interpungendum, & subsistendum, contra quam in multis codicibus est. *Quod cum ita sit, in principio huius sententiae legendum uidetur, Quam multi inuidi sint. ESSE etiam non nullos tibi iratos.* § Eri enim monet Cic. lib. 2. off. ut aduertamus, ne, cum alios iuuare uelimus, alios offendamus, tamen ibidem ostendit, cogi nos interdum, uel inuitos, aliquem offendere. De ijs iterum dicit, cum, quomodo placandi sint, quos laeserit, dum contra eos pro amico diceret, docebit. *Quod uero multos laesisset, dicit Dio lib. 3. Plurimos M. Cicero laeserat, nec tantum apud eos, quibus profuerat, fauoris habebat, quantum eorum, quos offenderat, animos a se ab alienauerat. IAM illud tu te circumspicito.* § Tu ipse animaduerte, me etiam nihil dicente. *QUOD ad Cn. Pompeij.* § Praecipue in suadenda lege Manilia, ut sup. *TE dedisti.* § Mannuccij liber scriptus, item alter, quem ab homine mihi amicissimo, & praestanti ingenio, & doctrina praedito, Federico Cerruto accepi, Dedidisti, habet. *Quod tanto magis placet, quanto plus est Dedere, quam Dare. NVM quos tibi putes ob eam causam.* § Ipse met. Cic. in fine orat. pro L. Manil. *Tantum abest, ut aliquam bonam gratiam mihi quaesisse uidear, ut multas etiam simultates, partim obscuras, partim apertas, intelligam, mihi non necessarias, uobis non inuriles, suscepisse. De ijs uideatur intellexisse ep. 2. lib. 1. ad Att. Summa hominum est opinio, tuos familiares, nobiles homines, aduersarios honori nostro fore. etiam Alcon. Pedianus in arg. orat. in competit. dicit M. Crassum & C. Caesarem adiuuasse Catilinam, & Antonium, ut Ciceronem consulatu deicerent. NVM quos tibi putes ob eam causam esse amicos.* § Lege sine interrogatione, & Amicos pro Inimicos explana, sicut in ep. 5. lib. 1. Fidem pro Perfidia ponit Cic. & Terent. in Andria. act. 4. sc. 6. *Quam mihi sit facile, atque utile: pro, difficile, & inutile: idq. comicum esse, dicit Donatus. QUAMOBREM cum & summum locum.* § Epilogus utriusque rei, quae petitionem difficilem faciunt, ut mox tradat, quibus rationibus omnis difficultas euincatur. Nam gratis nihil acquiritur. Epitectus cap. 15. *Summam autem se adhibuisse diligentiam in omni munere candidatorio fungendo testatur ipse Marcus ep. 1. ad Atticum.*

QVINCTVS

ET petitio magistratum diuisa est in duarum rationum diligentiam, quarum altera in amicorum studijs, altera in populari uoluntate ponenda est. Amicorum studia, beneficijs, & officijs, & uetustate, facilitate, ac iucunditate naturae parata esse oportet. Sed hoc nomen amicorum in petitione latius patet, quam in cetera uita. Quisquis est enim, qui ostendat aliquid in te uoluntatis, qui colat, qui domum uenitet, is in amicorum numero est habendus. sed tamen, qui sunt amici ex causa ho-

nestiore cognationis, aut affinitatis, aut sodalitatibus, aut alicuius necessitudinis, his earum, & incundum esse maxime potest. Deinde, ut quisque optimus, ac maxime domesticus, ut is amet, quisque fidelissimum esse te cupiat, ualde elaborandum puto. tum ut tribules, ut uicini, ut clientes, ut denique liberti, postremo etiam seruitus. nam fere omnis sermo ad forensem famam a domesticis emanat auctoribus.

EXPLANATIO

ET petitio magistratum. ? Hic agere incipit tum de ijs, per quos, tum a quibus adepturus est consulatum. De amicis nimirum, qui non suo suffragio solum, sed & pro eo prestandi opera, illum adiuturi sunt. tum de populi uoluntate, qui suis suffragijs, honorem ipsum demandaturus est. sed hoc posterius. In priori igitur illud seruat, ut alios amicos, quos habeat conseruandos, ac confirmandos dicat, alios comparandos. Atque in eis quidem, quos iam habet, id curandum, ut se ament, carumque habeant. Tantoque magis, quo sunt coniunctiores. **IN duarum rationum.** ? Hoc nomen Ratio, in hoc libello uarias accipit significaciones, quae suo quaeque loco considerandae sunt. sicut in ep. 1. & 2. ad Att. Vbi quinquies positum obseruauimus. **AMICORVM studia beneficijs, & officijs.** ? Perfecta amicitia, cum multis esse non potest, ut ait Arist. lib. 8. de moribus. Cum igitur hic tam multos memoret, quos habere amicos oporteat, non de uera, & perfecta amicitia haec dicta fuerint, sed de uulgari, aut mediocri. quae tamen ipsa etiam delectat, & prodest, ut ait Cic. in Laelio. cognoscitur autem ex eo, quod dicit, parata esse debere haec amicorum studia beneficijs, officijs &c. Nam cum amicitiae tres soleant esse causae, honestas, iucunditas, utilitas, ut est apud eundem Arist. ea sola uera est amicitia, cuius conciliatrix est uirtus, ut etiam Cic. dicit in Lael. At hic uidetur tangere reliquas duas causas, utilitatem nimirum, & iucunditatem, propter quas etiam cum malis intercedere solet amicitia, licet huiusmodi amicitia, ex similitudine potius, quam proprie amicitiae dicantur. Idem Arist. lib. 8. de moribus. Id quod non ignorauit Quinctus, cum dixit amicorum nomen in petitione latius patere, quam in cetera uita. huiusmodi amicitias Cic. ipse in ep. lib. primi ad Att. Ambitiosas, fucosaeque uocat. Quae sunt in splendore forensi, fructum domesticum non habent. Quod uero de beneficijs, & facilitate dicit, quibus comparantur studia amicorum, scripsit M. Cic. lib. 2. offic. Beneuolentiam beneficijs capi maxime, & fama, & opinione earum uirtutum, quae pertinent ad mansuetudinem morum, ac facilitatem. **PARTA esse oportet.** ? sic infra: Quamquam partis, & fundatis amicitijs, fretum ac munitum esse oportet. **LATIVUS patet.** ? plures complectitur, ad plures se effundit. sic in 5. de finibus. Nihil est tam illustre, nec quod latius pateat, quam coniunctio inter homines hominum. **QVAM in cetera uita.** ? In qua non est amici nomine uellus appellandus, nisi uarijs modis de eo periculum sit factum; ex quo illud apud Arist. in eodem de moribus & M. Cic. in Lael. Multos modios salis simul edendos esse, ut amicitiae munus expletum sit. uide quiddam simile infra: In ceteris molestijs habet hoc tamen petitio commodi, ut possis honeste, quod in cetera uita non queas, quoscumque uelis adiungere ad amicitiam. **QVISOVIS est enim, qui ostendat aliquid.** ? Ex signis etiam leuioribus, uult, ut quis amicus dicatur, licet ea ficta esse possint. Quamobrem illum paullo post monebit, ut caueat, ne facile omnibus credat. Atque huiusmodi homines, quos dicit cum colere, aut domum ad illum uentitare, sunt ij, quos deinde, salutatores, deductores, asseclatores uocat. **SED tamen, qui sunt amici ex causa honestiore.** ? Paullatim in angustum contrahit amicitiae gradus. Nam primi aliquid tantum uoluntatis ostendunt; secundi uero sunt necessitudine etiam coniuncti: tertio loco ponuntur domestici, & uicini. Primis satis est tribuere, ut amicorum numero habeantur. Alteris curandum, ut iucundissimus. A tertijs petendum, ut nos ament, & honori nostro maxime faueant. **AMICI ex causa honestiore.** ? Amicitia societas est quaedam. Arist. lib. 9. de moribus. itaque in omni societate, amicitia aliqua reperitur. Arist. lib. 8. Ut igitur uariae sunt societatis causae hominum inter homines, sic uariae sunt amicitiae. Nam & compotores, & collusores, & uenatores, & philosophi inter se amicos se esse dicunt. Alia igitur, alia honestior. bene ergo dixit honestiore causa amicos esse, qui propter cognationem, quam qui propter salutacionem tantum. **SODALITATIS.** ? Sodalitatis nomen hoc loco, non consuetudinem, aut conuictum quandam uoluptatis causa significat, sed collegium. ut Iuriconsultus. De collegijs illicitis. Sodales sunt, inquit, qui eiusdem collegij sunt. Sodalitates autem hae uidentur, uel sacrorum, uel alicuius negotiationis causa constitutae. Ut in eadem lege est. Has in ambitu, & comitijs plurimum ualuisse, in hoc ipso apparebit, cum quatuor sodalitates ciuium ad ambitionem gratiosissimorum sibi obligasse Ciceronem dicit. Atque ob id de ijs aliquando lex Licinia lata est, quae de ambitu erat, ut in orat. pro Cn. Plancio. **AVT alicuius necessitudinis.** ? Quae uis arcta sanguinis, amicitiae, familiaritatis coniunctio, necessitudo dicitur. Vnde illud fluxit, Quocum mihi omnes necessitudines sunt, ep. 1 2. lib. 1 3. Fam. & in orat. pro P. Sextio. M. Crassus, quocum mihi erant

erant omnes amicitiae necessitudines. Itaque in orat. pro Q. Ligario, ubi legitur, Haec ego noui, propter communes necessitudines, quae mihi sunt cum L. Tuberone, pro Communes, recte repositum est, Omnes, ut est etiam in meo lib. scripto. His *carum, & incundum esse*. & Amat Cic. haec duo nomina coniungere ad perfectam beneuolentiam exprimendam, ut ep. 9. libri primi ad finem. & ep. 2. & 10. lib. 2. & 10. lib. 3. Fam. ad finem. *MAXIME potest.* & In scriptis legimus Prodest: nec aliter legendum est, ut supra: Prodest quorum in locum peruenire uelis. *DEINDE ut quisque optimus, ac maxime domesticus.* & Hic complectitur maxime coniunctos, ac caros. Sed, quid optimo cum domestico? Corrigo igitur, & pro Optimo, repono Intimus, quo uerbo ista summa coniunctio significatur, & fere Intimus cum nomine domestico copulatur. ep. prima lib. 3. Est ex meis domesticis, atque intimis familiaribus. ep. prima, lib. primi, Ab intimis, ac domesticis Pompeij. *QVISQUE fidelissimum esse re cupiat.* & Fidelissimum procul dubio corruptum est. Aliqui emendarunt Fidelissimus esse re cupiat, nempe iste domesticus. hoc non placet. Aliqui etiam amplissimum esse re cupiat, hoc melius, nisi malimus. honestissimum esse re cupiat, ut illud ep. 15. lib. 2. Fam. Caesarem honestum esse cupio. *TUM ut tribules.* & Homines ex eadem tribu, a quibus amari laudabile erat, ut summa erat ignominia, in petitione, tribum suam non ferre. Cic. in Vat. Scias te tribulum tuorum iudicio notatum, nec post Romam conditam, praeter te, tribulem quemquam, tribum Sergiam perdidisse. & paulo post: Si te uicini, si affines, si tribules, ita oderunt, ut repulsam tuam, triumphum suum duxerint. *TUM ut uicini, ut clientes.* & Si sic legatur, haec pendent a uerbo Cupiat. Sed si expungatur illud, Tum, quod abest a scriptis, subaudiendum est, sunt. Atque illud, Vt, erit expositio intimorum, ac domesticorum. Atque haec planior uideatur lectio. *POSTREMO etiam seruitus.* & Sic habent omnes libri, quos uidi, ueram tamen correctionem puto, Serui tui. Nam Seruitus pro seruis nimis durum. *NAM fere omnis sermo.* & Non fuit omittenda haec ratio, quia absurdum uideri posset, ut in petitione, earum se seruis esse curaret. Est necessarium, inquit, nam serui de dominorum uita, ac moribus, disseminare sermones solent, ex quibus bona, uel mala fama excitatur. *A domesticis emanat auctoribus.* & Quippe quibus maxime creditur, quod omnium optime, nos cognitos habeant, ex quo illud emanauit pro uerb. Domesticus testis, de eo, qui facile nosse, & cuius testimonio fides haberi possit. Sic enim uideatur interpretandum, licet de hoc in uarias sententias scriptores discedant.

QVINCTVS

DEINDE instituendi sunt cuiuscumque generis amici, ad speciem hominis illustris, honore, ac nomine, qui etiam si suffragandi studia non nauant, tamen afferunt petitori aliquid dignitatis: ad iustitiam obtinendam magistratus; ex quibus maxime consules, deinde tribuni plebis; ad conficiendum centurias, homines excellenti gratia. Qui tribuent centuriam, ut aliquod abs te beneficium, aut habeant, aut ut habeant sperent, eos prorsus magnopere compara, & confirma. Nam per hos annos homines ambitiosi, uehementer omni studio, atque opere laborarunt, ut possent a tribulibus suis, ea, quae peterent, impetrare. Hos tu homines, quibuscumque rationibus poteris, ut ex animo, atque ut ex illa summa uoluntate tui studiosi sint, laborato.

EXPLANATIO

DEINDE instituendi sunt. & Ad amicos, quos habet, alios, atque alios, ex diuersis hominum generibus addendos dicit, eosq. uarijs de causis. Tria igitur hominum genera ponit, quorum alij illustres sunt, licet priuati, alij magistratum gerunt, alij gratia excellunt. Illustres, dignitatem petitori afferunt, magistratus, ne fraus fiat, prouident. Gratijs centurias conficiunt. haec est loci huius sententia, sed ita erant corrupta uerba, & interpunctiones perturbatae, ut elici commode non posset, nisi in eo ante alij laborassent. *AD speciem, homines illustres.* & Ad ornatum quendam exteriorem comparandum. Sic loquitur M. Cic. tertia Verr. Forum, comitiumq. adornatum, ad speciem magnifico ornatu. Cum his autem consentiunt, illa quae dicuntur ad finem. Tota petitio cura, ut pompae plena sit, ut illustris, ut splendida, ut popularis, ut habeat summam speciem, ac dignitatem. *HOMINES illustres.* & Male in omnibus libris, legebatur, Hominis illustris, secundo casu, Illustres honore ac nomine, qui magistratum gesserint. id enim ualet honos; & ex illustri sint familia. nam nomen pro familia saepe accipitur. *SUFFRAGANDI studia non nauant.* & Non enim patitur eorum dignitas, ut pro quibusuis populum rogent, nisi magna causa urgeat. Vt de Q. Metello Pio consule dicitur, qui praetorijs comitijs petente Q. Calidio, pop. Romano supplicare non dubitauit, ut gratius in illum uideretur, Cuius lege Q. Metellus pater ab exilio reuocatus esset. Cic. pro Plancio, & Val. Max. lib. 5. cap. 2. *AD iustitiam obtinendam.* & Duriuscule dictum uideatur obtinere iustitiam, in ueteribus libris dicunt aliqui esse, Ad ius obtinendum. id si uerum est, non dubit, quin ita legendum sit; sin secus, idem censeo quod infra dixi, de restituenda gratia. Est autem ad iustitiam obtinendam, Ad impetrandum, ut iuste omnia in comitijs, & suffragijs ferendis agantur, ne quid fraudis fiat. id uero magistratus praestare poterant, & praecipue consules, qui centuriatis comitijs praeebant, & Tribuni etiam pleb. qui intercedendo poterant comitia dirimere. Nicol. Gruchius lib. 2. de comitijs. *DEINDE tribunos plebis.* & Et hic interpungendum est, & legendum Tribuni, nominandi casu, non accusandi. Nam pendent omnia a primo uerbo instituendi sunt magistratus. S. Consules, Tribuni plebis. Tum homines excellenti gratia. *AD conficiendum centurias*

turi as homines excellenti gratia. Hic definit tertium membrum, Homines excellenti gratia, hi sunt, quos gratiosos in suffragijs uocat, Cic. ep. 6. lib. 2. fam. Conficere autem alicui centurias, est, efficere ut centuriae alicui in suffragijs faueant. sic ep. 16. lib. 2. fam. Mitte ad lupum, ut is nobis eas centurias conficiat. *Qui tribuet centuriam.* Et hic locus male se habet, nec medium adhuc certum nactus est. Qui tribuet, est in libris uulgatis. in scriptis, Qui abs te tribuniciam, aut centuriam. Corrupte, sed sic emendandum. Qui abs te tribum iam, aut centuriam. item sequentia non uno modo leguntur. sed omnino male, ergo ex scriptis, sic emendari possunt. Aut aliquod beneficium aliud habuerunt, aut ut habeant, sperant, eos &c. Hoc nempe sensu, inter ceteros amicos, hos praecipue compara, & confirma, qui abs te beneficium aliquod acceperint, & in hoc maxime genere, in quo tu eos tibi cupis gratificari, ut, qui in suis petitionibus, olim aut tribum aliquam tributis comitijs, aut centuriam centuriatis, tua opera habuerint. *Aut ut habeant sperant.* In posterum, si iam ante non habuerint. Nam & paullo post: Et spe reliquorum tuorum officiorum, & recentibus beneficijs &c. Nam cum alijs de causis, ad suffragandi studium ducuntur homines, Tum his duabus praecipue, beneficio, & spe: ut ipsemet dicet. sed iam omnia subscribam, pro ut legenda esse puto.

Deinde instituendi sunt cuiuscumque generis amici. Ad speciem homines illustres honore, ac nomine. Qui etiam si suffragandi studia non nauant, tamen afferunt petitori aliquid dignitatis. Ad iustitiam obtinendam, Magistratus, ex quibus maxime consules, deinde Tribuni plebis: ad conficiendum centurias, homines excellenti gratia. Qui abs te tribum iam, aut centuriam, aut aliquod beneficium aliud habuerunt, aut ut habeant sperant, eos prorsus magnopere compara, & confirma. *Nam per hos annos homines ambitiosi.* Ratio quaedam haec est, in qua inest argumentum a minori. si ambitiosi homines, uehementer laborarunt, ut a suis tribulibus impetrarent, quod peterent, quos uerisimile est ulro fauere debuisse. quanto magis laborandum est nobis, ut idem ab alienis hominibus illustribus, & gratiosis obtineamus? Per hos annos, inquit, quibus ambitus maxime feueret, cum antea idem fieri non toleret. Hocq. significatur in 2. Philip. Vbi est. Cum consulatus petebatur, non rogabatur. *VEHEMENTER omni studio.* Sic uidetur dictum sine copula, ut illud, Vehementer, Etiam atque etiam. *OMNI studio atque opere.* Aliquibus uidetur parum Latine dictum, *Omni opere laborare, & opera mallet.* est omnino uisus hoc. sed neque illud damnandum, nisi forte male locutum Terentium putamus, cum dixit, Thais maximo te orabat opere, Eunuc. act. 3. sc. 3. & Cic. ep. 7. lib. 1. 3. Fam. Quantoq. opere, Aut aliud esse omni opere seiunctum, quam illa coniuncta, summpere, magnopere. Si quis tamen emendare cupiat opera, aut quod huic par est, ope, per me id faciat, licet Cic. ep. 14. lib. 1. 4. ad Att. *Omni opē, atque opera enitar.* *Hos tu homines quibuscumque.* Concludit hanc partem, adiuncta breui cohortaciuncula. In his autem uerbis, si coniungamus hos homines cum uerbo, Laborato, erit modus loquendi non probandus. Aut igitur, Hi tu homines, legendum est. Aut aliquid deest, ueluti Nactus, aut quid simile, ut sit, *Hos tu homines nactus.* Aut est genus locutionis, quod absolutum dicitur, quo usus est Terent. Cic. Virg. Vide Donatum in scen. 1. act. 3. Hecy. Ibi: Nam nos omnes, quibus est aliunde, aliquis obiectus labor, omne, quod est interea tempus, priusquam id rescitum est, lucto est. *Ut ex animo, & illa summa uoluntate.* Non ficto, non segniter agant, & illa, cum emphasi, quae in huiusmodi negotio desideratur. *SYMMA uoluntate.* Ep. 9. libri primi, umma Suoluntate celsierit, & egregia animi alacritate abfuerit.

QVINCTVS

*Q*UOD si satis grati homines essent, haec omnia parata esse debebant, sicut parata esse concerno. Nam hoc biennio, quattuor sodalitates ciuium ad ambitionem gratiosissimorum tibi obligasti: M. Fundanij, Q. Gallij, Cn. Cornelij, L. Coruini, & horum in causis ad te deferendis, quid nam eorum sodales receperint, & confirmarint, scio, nam interfui. Quare hoc tibi faciendum est, ut idem ab ijs, quod debent, exigas; saepe commonendo, rogando, confirmando, curando, ut intelligant, nullum tempus aliud se umquam habituros restituendae gratiae. Profecto homines, & spe reliquorum tuorum officiorum, etiam recentibus beneficijs, ad studium seruandum excitabuntur. Et omnino, quoniam eo genere amicitiarum petitio tua maxime initiata est, quod caussarum defensionibus adeptus es. Fac, ut plane ijs omnibus, quos deuinctos tenes, descriptum, ac dispositum suum cuique munus sit. Et, quemadmodum memini, quod nulla in re illis umquam molestus fuisti, sic cura, ut intelligant, omnia te, quae ab illis tibi deberi putaris, ad hoc tempus reseruasse.

EXPLANATIO

*Q*UOD si satis grati homines essent. Confirmat spem fratris, quod eum munitum uidet ijs amicorum praesidijs, quibus opus est. Tum monet, quid, & quomodo ab uno quoque exigat. *HAEC omnia.* Scripti, Illa omnia. *SI SATIS grati homines.* Haec in uniuersum de omnibus hominibus dicuntur. Si uigeret in hominibus, grati animi uirtus. *HAEC iam parata esse debebant.* Nam, quod ad te attinet, tu ea fecisti, cur ea tibi comparare posses. *PARATA esse concerno.* Placuit quibusdam mutare Concerno, in Confido. ego a uulgata lectione non recedo, quae est in scriptis. At Concerno non facile inuenias. penes Quintum sit huius uerbi defensio, nostrum non est mutare, quae scriptoris sunt, sed exponere. Quasi non alia multa huiusmodi uerba apud probatos scriptores habeantur. ne repetam, illa, quae iam sunt dicta ad uerbum.

Conflu.

constupravit. NAM hoc biennio quattuor sodalitates. Ratio, quod iam sibi illa parauerit. Hoc biennio, & Alcon orationem pro Cornelio dictam refert L. Cotta. L. Torquatio cos. post annum, quam superiores, id est post orationes pro Q. Gallio, M. Fundanio habitas. Qui duo anni praecedunt annum petitionis Ciceronis. Ad ambitionem gratiosissimorum. Qui in ambiendo plurimum gratia ualent. Ambitio hic, non improbata ambitio est, sed simplex quoddam honorum studium, quod esse in hominibus politicis solet. Cic. de se epist. 15, lib. 1. ad Att. Me ambitio quaedam ad honorum studium duxit. Item ep. 27. lib. 2. fam. Ambitio nostra, & uitae dissimilitudo, non est passa uoluntates nostras conglutinari. M. FUNDANII, Q. Galli. De his orationibus uide fragmenta Ciceronis a Carolo Sigonio Romanae antiquitatis instauratore collecta. De ea pro Cornelio apud eundem Sigonium, & Alconium Pedianum. Anno postquam praetor fuerat Cicero Cornelium defendit. Cn. Cornelii. Non Cn. sed C. praenomen fuit Cornelij, & C. est in duobus scriptis. De oratione pro L. Cornino mentionem nullam uidi. Cornuinus cognomen gentis Valeriae, Cornius autem primum cognominatus est Valerius ille, qui coruo fauente feliciter aduersus Gallum pugnauit: de quo Lilius lib. 7. Ita que putarunt docti quidam eius etiam posteros cognominandos esse coruos, sed sine causa. Nam praeter quam quod innumera sunt cognomina apud Romanos, ita inflexa, ut Rufinus, Marcellinus, Longinus, Paetinus, Crispinus, a Rufo, Paeto, Marcello, Longo, Crispo. Facti ipsi consulares, & Poetae etiam satis docent Cornuinos, non coruos dictos esse illos, qui a Valerio Coruo originem duxerunt. Horat. Od. 11. lib. 3. Iuuenal. saty. 1. HORVM in causis ad te deferendis. Proprie locutus est. desert enim causam litigator ad patronum. Recipit patronus, qui causam defendendam suscipit. Deserri etiam dicitur ad praetorem, qui iudicaturus est, ut ep. 58. lib. 11. fam. RECEPERINT, & confirmari. Ut Recipere plus est, quam promittere, prout apparet ep. 8. lib. 5. fam. ubi est, Tibi promitto, ac recipio. & epist. 10. lib. 13. sic uidebitur plus Confirmare, quam Recipere, tamen Cic. ep. 11. lib. 6. & 28. lib. 13. diuerso ordine posuit, Confirmauit, atque recepit. Sed, nam inter se. Optima ratio ad faciendam fidem, ut illa ep. 18. lib. 10. Ex ipsis cognoscere potuisti, qui omnibus rebus interfuerunt. QUARE hoc tibi faciendum est. communitio. Quid debent, exigas. Exigas, quia debent. Infra, Debent, quia tu defendisti, illi promiserunt. Ep. 1. ad Att. Illi ita uulgo negant, ut mihi te debere dicant. SAepe commouendo, rogando. Vide diligentis hominis officium. CONFIRMANDO. In eo, quod promiserunt. CVRANDO ut intelligant. haec est sententia, quam supra iterum uidimus, & paulo post etiam habetur. HABITVROS restituendae gratiae. Video in non nullis impressis libris pro Restituendae, positum Referendae, quod si ex antiquis codicibus sumptum est, admittendum censeo, in certo aliquis iudicio inuectum, restituendum in suum locum, Restituendae, non quin uulgius illud sit, sed quia standum est magis scriptoris iudicio, quam nostro, qui fortasse uariandi causa hanc formam dicendi inuouauit. cum illa satis nota essent Referre, Reddere, Rependere. PROPECTO homines, & spe reliquorum officiorum tuorum. Nam Publius Mithographus inquit, Beneficia plura recipit, qui se reddere. ETIAM recentibus. Etiam in omnibus legitur, sed illud, Et, quod est in membro praecedenti, exigit alterum, Et, quod quia unius tantum uirgulae superadiectione mutari in Etiam potuit, suspicor, potius Et quam Etiam legendum. RECENTIBVS beneficijs. Monet hic locus, ut obseruemus aliud esse Officium, aliud Beneficium. Officium eius uideatur, qui antea obligatus, referendae gratiae causa aliquid agit. Beneficium eius, qui benefaciendo alterum sibi deuincit. Haec differentia uidetur obseruata in ep. 7. lib. 1. fam. Nostra desentio dignitatis tuae, propter magnitudinem beneficij tui, fortasse plerisque officij maiorem auctoritatem habere uideatur, quam sententiae. Item ep. 23. lib. 10. Opto, ut mihi liceat, iam praesenti pietate meorum officiorum, tua beneficia tibi facere iucundiora. & separatim de utroque, ep. 5. lib. 5. ego si abs te summa officia desiderem, & 7. lib. 13. Homines honestissimos summo beneficio, in perpetuum tibi, tuisque deuinxeris. Eadem etiam differentia supra agnoscitur, ubi de amicorum studijs agere incipit. AD STUDIVM seruandum exercitabantur. Non audeo, quod quidam faciunt, temere receptam lectionem mutare. Seruare studium, non uidetur hoc loco improprie dictum, imo maxime conuenire, quia de illis loquitur, qui ante receperant se illi esse fautores, est igitur tamquam Seruare fidem, & Seruare promissum, quare nescio, cur in mentem alicui ueniat legere Nauandum studium. EXCITABVNTVR. Ut infra: Ad summum studium beneuolos excitamus. Et omnino, quoniam eo genere amicitiarum. Nihil non aequum praecipio, nihil non antea prouisum, accessisti ad petendum, fretus amicorum studijs, quibus in iudicio adfuisi. Vtere ergo eorum opera, quam ad hoc praecipue tempus referuasti. EO GENERE amicitiarum. Sine amicorum ope, nemo auderet petere. Sed amicos non omnes eadem uia sibi pariunt, Ciceronis amicitiae causarum defensionibus parte erant. Nam supra dixit, Quidquid es, ex hoc. INITIATA est. Sic in uno scripto, in duobus est Nudata, corrupte. Alij emendarunt Murina. propius ad scripturam ueterem accedit Initiata. Quod uerbum licet saepius de sacris dicatur, quid prohibet tamen ad cuius rei initium transferre? Muretus legit Innixa. Et haec fortasse germana est lectio. Nam & M. Tull. lib. & ep. 1. ad Att. In quo uno ambitio nostra maxime nititur. Quid causarum defensionibus. Philipp. 7. Omne curriculum industriae meae in foro, in amicorum periculis propulsandis elaboratum est. Hinc honores amplissimos, hinc mediocres opes, hinc dignitatem, si quam habemus, consecuti sumus. DESCRIBTVM, & dispositum. Distributum, ut ualiquisque sciat, quid sibi faciendum sit, de qua distributione, infra suo loco pluribus agetur. Descriptum, pro Distributum, ut infra, & Horat. in Poet. Descriptas seruare uices, Cic. ep. 10. lib. 16. fam. Italiae regiones descriptae sunt. Et, quemadmodum memini quod Locus corruptus, & a M. Antonio Mureto sic emendatus, Variarum lect. lib. 7. cap. 12. Nemini ulla in re unquam molestus fuisti. Libri etiam scripti habent Nemini. Ad hoc tempus referuasse. Et officia memisse debet is, in quem collata sunt, non commemorare, qui contulit, ut in Laelio, Cic. Nec enim, ut idem

in eodem inquit, beneficii, liberalesq. sumus, ut exigamus gratiam, quod beneficium non feneratur; sed natura propensi ad liberalitatem sumus. Tamen, quia beneficium dare, docere est reddere. ut P. in Mimis & sine ijs mutuis officijs hominum societas seruari non possit, ideo non iniquum est, cum egeas, ab eo petere, de quo benemeritis sis, & ad illum excitandum, etiam fateri te ab eo aliquid tale aliquando expectasse. eoque magis, si, ut mox subdet, qui nobis obligati erunt, ita rogabuntur, quasi ijs uicissim nos obligari adhuc posse uideamur.

QVINCTVS

SED, quoniam tribus rebus homines maxime ad beneuolentiam, atque haec suffragandi studia ducuntur, beneficio, spe, adiunctione animi, uel uoluntate: animaduertendum est, quemadmodum cuique horum generi sit inseruiendum. Minimis beneficijs homines adducuntur, ut satis causae putent, se ad studium suffragationis dedisse: nedum ij, qui

bus saluti fuisti, quos tu habes plurimos, & intelligant, si hoc tuo tempore non satisfecerint, se probatos nemini umquam fore. quod cum ita sit, tamen rogandi sunt, atque etiam in banc opinionem adducendi, ut, qui nobis adhuc obligati fuerint, ijs uicissim nos obligari adhuc posse uideamur.

EXPLANATIO

SED, quoniam tribus rebus homines. Diuidit rationem parandae beneuolentiae, de qua supra confusus egerat. & triplicem eam facit, aut in fructu praeteritorum, aut in spe futurorum, aut in animorum similitudine. Illud interim sciendum, non esse eandem beneuolentiam, & amicitiam, licet amicitiae principium sit beneuolentia; nec eosdem beneuolos, & amicos, de quo uide Arist. lib. 8. & 9. de moribus. **VEL uoluntate.** Interpretatur, quid sit animi adiunctione adduci ad suffragandi studium. nempe uoluntate, quod non utilitate ulla moueatur; sed libera quadam animi propensione. ideoque hoc genus studiorum uoluntarium deinceps uocatur. **QUEMADMODUM cuique horum genere sit inseruiendum.** Quomodo cum singulis agendum, ut eorum nobis studium comparemus. Inseruiendum dicit, quod genus quoddam sit seruitutis, tam uarijs uoluntatibus, tam diuersas ob causas se accommodare. Cic. pro Murena. Huic inseruias, huic te ostentes oportet. & pro Cn. Plancio: Seruire populo. & in 1. Off. Gloriae cupiditatem, quae eadem est, quae & ambitio, eripere dixit libertatem. **MINIMIS beneficijs.** De prima ratione eum bene sperare iubet. hoc argum. si alij leuioribus beneficijs sibi persuadent, obligasse sibi homines, ut suffragari debeant, quanto magis tu, a quo grauissima sunt beneficia profecta: uult tamen eum ita rogare, quasi non gratiam reperat, sed ut si ipse obligandus esset. **MINIMIS beneficijs.** dandis. **AD studium suffragationis.** promerendum. **Ne dum ij, quibus saluti fuisti.** Argum. ordo petebat, ut diceret, ne dum tu sperare possis: sed ad certiores eius spem ostendendam, inuertit, ac dixit, ne dum homines, qui a te beneficium acceperunt, intelligant, quasi rem nimis apertam, & claram. se ita tibi debere, ut non possint sine summa infamia tibi deesse. **QUIBUS saluti fuisti.** Quod est omnium, beneficium maximum. id uero castrarum defensionibus consecutus erat: **Et intelligant.** Et si consentiunt scripti cum impressis, qui habent, Et intelligant: tollenda tamen uideatur illa copula, Et. Verbum autem cum praecedentibus coniungendum: De quo alij iudicent. Si hoc tuo tempore non satisfecerint. Scripti amplius habent, Tibi non satisfecerint, quod placet. **Se probatos nemini.** Quia ingrati habebuntur. Dixero porro maledicta cuncta, cum ingratum hominem dixeris. Pub. Mimogra. **Quod cum ita sit.** Ut non possint huiusmodi homines honeste tibi deesse, tamen, ad euitandam arrogantiam, rogandi sunt; ne in mercedis potius, quam beneficij loco, quod petis, numerare uidearis. ut dicit Cic. ep. 6. lib. 2. fam. **In eam opinionem adducendi.** Id est, illis persuadendum. **Ut qui nobis adhuc obligati.** Beneficijs nostris. **Ijs uicissim nos obligari.** Ut non solum relatum nobis gratiam, sed quasi beneficio accepto, nos ijs obligatos etiam putemus, ut fiat quod ait Geta Terent. Adeo res redijt, si quis quid reddit, magna habenda est gratia.

QVINCTVS

QVI autem spe tenentur, quod genus hominum multo eo diligentius, atque officiosius; ijs fac, ut propositum, ac paratum auxilium tuum esse uideatur. Denique, ut spectatorem te suorum officiorum intelligant esse diligentem, ut uidere te plane, atque animaduertere, quantum ab uno quoque proficiatur, appareat. Tertium illud genus est studiorum uoluntarium, quod agendis gratijs, ac commodandis sermonibus ad eas rationes, propter quas quisque studiosus esse uidebitur, significanda erga illos pari uoluntate, adducenda amicitia in spem familiaritatis, & consuetudinis, confirmari oportebit, atque in ijs omnibus generibus indicato, & perpendito, quantum quisque possit, ut scias, & quemadmodum cuique inseruias, & quid a quoque expectes, & postules.

EXPLA-

EXPLANATIO

QVI autem spe tenentur. § Secundum hominum genus, qui aliquid a nobis sperant. *MVLTO est diligentius, atque officiosius.* § Quam ij, qui acceperunt beneficium. Recte sane, dum enim aliquid cupiunt homines, & expectant, nihil non promittunt, nihil non se facturos eius causa ostendunt, a quo expectant. Vbi uero, quod optant, acceperunt, fit illud, quod aiunt, simul & miserum est, & interijt gratia. Ideo Cic. lib. 2. de orat. Plus proficit, si proponitur spes utilitatis futurae, quam praeteriti beneficij commemoratio. *Ita fac ut propositum, ac paratum auxilium.* § Ut, quo certius sperabunt, eo diligentius laborent. Duo autem in hoc proponit, ut ostendatur auxilium paratum, & ut spectator credatur, & existimator eius, quod praestitum fuerit. *Esse uideatur.* § Hic est numerus, quo quia frequenter usus est in clausulis M. Cic. notatus est ab obtrektoribus, iteratur infra, ut fratrem Ciceronis agnoscas. *SPECTATOREM suorum officiorum.* § Sic incenduntur milites in pugna, qui sese spectari a duce putant. Sallust. in Catil. Quisque hostem ferire, murum ascendere, conspici, dum tale facinus faceret, properabat. & Lilius lib. 26. Testis, spectatorq; uirtutis, atque ignauiae cuiusque adest Scipio. Et Caesar lib. 1. Bel. Gal. Vti eos testes suae quisque uirtutis haberet. Et lib. 1. Bel. ciuil. Sub oculis domini suam probare uirtutem studebant. *Ut uidere te plane, atque animaduertere.* § Tum, ut sciant se non praestitisse operam homini infcio: tum, ut non audeant fucum facere. ita paullo post, ut ipsi intelligant te uidere quid a quoque expectes. Item, Ijs significato, te animaduertere. *TERTIVM illud genus est studiorum uoluntarium.* § Eorum, qui nihil acceperunt, nihil expectant, sed sola uoluntate adducti nobis student. Hi quattuor rationibus confirmandi sunt, gratiarum actione, sermonum communicatione, parisi animi significatione, spe familiaritatis. *AGENDIS gratijs.* § De eo, quod sua sponte ante egerint. *ACCOMMODANDIS sermonibus* § ut de ijs rebus loquamur, quibus quisque capi uidebitur. Ennius, amicum illum describens, omnium horarum hominem, apud Aul. Gel. lib. 12. cap. 14. ait secunda loquens in tempore, commodus, &c. *STVDIOSVS esse uidebitur.* § Qui studeat nobis, praestantia aliqua ductus, quae in nobis, puta eloquentiae, antiquitatis, aut alicuius rei similis, de ea libenter cum eo agamus, studio eius morem geramus. *SIGNIFICANDA erga illos pari uoluntate.* § Sic enim confirmatur amicitia, efficiturq; quod est in amicitia mutuum, cum par uoluntas accipitur, & redditur, ut est ep. 2. lib. 5. Fam. Quamquam hic non tam reddi, quam significari oportere ait, quod hoc ad praefens tempus fati esse uideatur. *ADDUCENDA amicitia in spem.* § Potest esse inter aliquos amicitia, non autem familiaritas. Iucundior tamen fit familiaritate amicitia. Cic. pro rege Deior. Quo cum mihi amicitiam resp. conciliauit, hospitium uoluntas utriusque coniunxit, familiaritatem consuetudo attulit. hic non dissimulabo esse in scriptis, In speciem. Quod non puto esse omnino reiiciendum. nam in hac tota ratione, non tam res ipsa spectatur, quam species, & demonstratio quaedam. ideo ante, Ad speciem homines illustres. *ATQVE in his omnibus generibus.* § Conclusio tum praeepto, quomodo cum tam uarijs amicorum generibus agendum sit. *IVDICATO, & perpendito.* § Ordo uidetur exigere, ut prius perpendamus, deinde iudicemus. sed defendi sic potest, ut iudicemus, quid quisque possit, tum perpendamus, & consideremus quantum illud sit, multum ne, an parum petitioni nostrae conducatur. Nisi forte dicamus ea esse tamquam synonyma, ut in 3. de orat. Non arte aliqua perpenditur, sed quoddam quasi naturali sensu iudicatur. *QVEM ADMODVM cuique inservias.* § Neque enim omnibus pari studio inserviendum est. Sed quod iubet Cic. primo offic. ut in suscipienda actione animaduertatur, quanta illa res sit, quam efficere uelimus, ne ue minor, ne ue maior cura, & opera suscipiatur, quam causa postulet. Sic petitionis nostrae adiutoribus, pro cuiusque merito ita tribuere, atque inservire aequum est. *POSTVLES & expectes.* § Postulare, & expectare possis, expectare quod ab eis sponte fiat, postulare quod ipse exigas M. Cic. ep. 5. lib. 2. A te hoc ciuitas, uel omnes potius gentes, non expectant solum, sed etiam postulant.

QVINCTVS

SVNT enim quidam homines in suis ciuitatibus, & municipijs gratiosi: sunt diligentes, & copiosi, qui, etiam si antea non studuerunt huic gratiae, tamen ex tempore elaborare, eius causa cui debent, aut uolunt, facile possunt. His hominum generibus sic inserviendum est, ut ipsi intelligant, te uidere, quid a quoque expectes; sentire, quid accipias; meminisse, quid acceperis. Sunt autem alij, qui aut nihil possunt, aut etiam odio sunt tribulibus suis, nec habent tantum animi, aut facultatis, ut enitentur ex tempore. Hos internoscas: & uidero, ne spe in aliquo maiore posita, praesidij parum comparetur.

EXPLANATIO

SVNT enim quidam. § Ratio, cur iudicandum sit, quantum quisque possit, cum distinctione duorum generum hominum. *IN suis ciuitatibus & municipijs;* § Ciuitas nomen generale, ad omnes hominum coetus iure sociatos, ut M. Cic. lib. 6. de rep. Municipium uero species ciuitatis, proprio quodam iure affecta, de quo dicitur. Sic loquitur etiam in orat. pro Murena: Grauius homines honesti, atque in suis ciuitatibus,



tibus, & municipijs gratiosi tulerunt. *SUNT diligentes, & copiosi, & Qui diligentia, & copiis ualent. Copiae, & diuitias significant, ut in Lael. Opibus, & copijs praeditus. & quantumcumque ualemus auctoritate, & gratia, ep. 2. lib. 4. ad Att. Hinc Copiosus. ANTEA non studuerunt huic gratiae. & Prenlandi, petendi, in quo praecipue laboratur de retinenda, & acquirenda hominum gratia. Ex tempore elaborare. & Repente ad id aggredi, quod antea non fecerint. Cui debent, aut uolunt. & Liber scriptus, Debent ac uolunt; ut illud ep. 75. lib. 13. Cuius causa omnia tum cupio, tum mehercule etiam debeo; neque tamen. Aut reprobandum, quod possit quis non debere, & tamen uelle. Cui debent, aut uolunt. & Velle, cum casu dandi, pro fauere, bene cupere. ut Cic. pro Cn. Plancio: Filio meo omnia malo, quam mihi. sic uerbum cupio. Terent. in Andria act. 5. sc. 4. Vel quod ipsi cupio Glycerio. *11 s hominum generibus. & Quorum alij gratiosi, alij diligentes sunt &c. Ut ipsi intelligant. & Ita cum illis agas, ut possint intelligere. Te uidere quid a quoque. & Dilucida, & expedita distributio; Videre futura, ideo expectes; sentire praesentia, ideo accipias; meminisse praeterita, ideo acceperis. Si intelligent te uidere, quid expectes, non licebit illis esse negligentibus; si sentire, quod accipias, non se operam perdere cognoscent; si meminisse, quod acceperis, laetabuntur officio, quod tibi homini memori praestiterint. *SUNT autem alij. & Diuersum a superioribus genus. Aut mihi possunt. & Auctoritate & gratia, apud tribules, opponitur ad illud, In suis ciuitatibus, & municipijs gratiosi. Aut etiam odio sunt. & Qui obesse potius possunt, quam prodesse. si quis, odio illorum, petitori, cui ipsi faueant, aduersetur. Nec habent tantum animi, aut facultatis. & Ad illud ex tempore laborare facile possunt. Ita quo homines nullius pretii esse prorsus ostendit, qui nec possunt, nec uelint quidem, aut audeant pro amico eniti, & periclitari. Hos internoscas. Bene Internoscas; quasi malos a bonis id enim ualeat. in lib. de amicitia ad finem. Secerni blandus amicus a uero, & internosci potest adhibita diligentia. Et uidero &c. & Variatiu modum. nam cum Internoscas modo coniunctiuo dixisset, mox Videto imperando dixit. etsi autem uterq. modus idem significat, uim tamen maiorem habet imperatiuus, quam coniuuctiuus. Videto igitur cum dicit, legem quandam praescribit, ac ualde attentum facit fratrem, ad eam obseruandam. Ne spe in aliquo maiore. & Maiore quam ponenda esset. *PARVM praesidij. & Quaesuit ornatum ex contrarijs. Multum spei, parum praesidij, fiet enim, quod prouerbio dicitur, Scipioni arundineo inniti, eritq. praesidium ficalnum, ut uulgo fertur.****

QVINCTVS

ET quamquam partis, & fundatis amicitijs fretum, ac munitum esse oporteret, tamen in ipsa petitione amicitiae permultae, ac peruitiles comparantur. nam in ceteris molestijs, habet hoc tamen petitio commodi, ut possis honeste, quod in cetera uita non queas, quoscumque uelis adiungere ad amicitiam; quibus cum si alio tempore agas, ut te utantur, absurde facere uideare: in petitione autem, nisi id agas, & cum multis, & diligenter, nullus petitor esse uideare.

EXPLANATIO

ET quamquam partis. & Meminerimus agi in hoc loco de ea parte petitionis, quae posita est in amicorum studiis, quae parta iam esse oportere dixit. iccirco transiturus ad eas amicitias, quae in ipsa petitione comparari possunt, breuiter repetit: Quod de partis iam dictum est. *PARTIS, & fundatis. & Prius partis, deinde fundatis, id est firmatis, & stabilitis, quae amicitiae omnium optima sunt. OPORTERET. & libri scripti habent Oportet, modo indicatiu, quod placet. In ipsa petitione. & Cum utendum est studiis amicorum, tum tamen noui amici acquiruntur. NAM in ceteris molestijs, habet hoc commodi. & Venusta oratio, ex contrarijs, ut ep. 9. lib. 1. fam. In molestia gaudeo, & 21. lib. 1. 5. In ea uoluptate hunc accepi dolorem. Quid in cetera uita. & In ceteris uitae partibus, aut ceteris obeandis muneribus, ut supra. Latius patet, quam in cetera uita. QVOSCVQVE uelis. & Dum prensando ab ijs petis, iis te uicissim offers. ADIUNGERE ad amicitiam. & sic loquitur paullo post: Homines adiungere, atque inuitare ad amicitiam. UT te utantur. & Ut te amici cum habeant, ut tibi familiares esse uelint. ALIO tempore. & Tanta uis est & loci, & temporis: Cic. 1. off. A. B. SVRDE. & Nam inepta, & impudens est sui tenditatio, & suspecta etiam esse saepe solet. Quare & Pythagoras dixit, Ne cui uis dexteram inieceris, & Iocates ad Daemonicum, Tarde fias amicus. NULLVS petitor. & Nullius pretii. sic ep. 3. lib. Nullus imperator fuit. liber Aldi non habet Esse.*

QVINCTVS

EGO autem tibi hoc confirmo, esse neminem, nisi si aliqua necessitudine competitorum alicui tuorum sit adiunctus, a quo non facile, si contenderis, impetrare possis, ut suo beneficio promereatur, se ut ames, & sibi ut debeas: modo intelligat te magis acstimare, ex animo agere, bene se ponere; fore ex eo non breuem, & suffragatoriam, sed firmam, & perpetuam amicitiam: nemo erit, mihi crede, in quo modo aliquid uirtutis sit, qui hoc tempus, sibi oblatum amicitiae tecum constituendae praetermittat; praesertim cum id tibi casus afferat, uti tecum petant, quorum amicitia aut contemenda, aut fugienda sit, & qui hoc, quod ego te hortor, non modo non assequi, sed ne incipere quidem possint.

EXPLA-

EXPLANATIO

EGO tibi hoc. & Suadet a facilitate, & satis fidenter, ego tibi confirmo. **NISI si aliqua.** & Recte hi excipiuntur, quos uerisimile est, necessarijs suis potius, quam alijs fautores. Itaque stultum est de his sperare. **NISI si.** & Terentianum est, ut in Andria, Nisi si, id est, quod suspicor. **Si contenderis.** & Diligenter egeris, uehementer petieris. **Ut suo beneficio.** & suo suffragio tibi praestito. **Se ut ames, sibi ut debeas.** & Quis enim non cupiat a summo uiro amari, eundemq. sibi habere deuinctum? **Modo intelligat.** & Scripti habent modo ut. **Te magni aestimare.** & Amicitiam illorum scilicet bene autem addit, Has cautiones, ut sciat, quomodo agendum. Nam quis uelit beneficium suum profundere, ac perdere? **Ex animo agere.** & A superiori, Te, repetendum. ex animo agere, non simulare, quod tali tempore fere fit. **Bene se ponere.** & Apud hominem gratum collocare beneficium, sic infra, Apud quos optime poni arbitraretur. **Cic. ep. 55. lib. 1.** & Quam bene positurus sis studium tuum idem ualet Praeclare ponere. **Non fore ex eo breuem, & suffragatoriam.** & Qualis solet esse inter eos, qui suffragiorum caussa tantum amici facti sunt. Huiusmodi amicitiae temporariae appellantur, apud Senecam, ep. 9. lib. primi. **Nemo erit.** & Non solum dicit impetraturum Ciceronem facile, quod petet, sed homines ipsos eam occasionem libentissime amplexuros, ut cum Cicerone amicitiam constituant. **In quomodo aliquid uirtutis sit.** & Nam, cum eadem in te sit, facile contrahet amicitiam uirtus, ut Cic. in Lael. Si qua significatio uirtutis eluceat, ad quam se similis animus applicet, & adiungat. **Amicitiae tecum constituendae.** & Id est, conciliandae, sic locutus aliquando est M. Tul. lib. 2. de Finibus. Si utilitas amicitiam constituet. **Hic noster iterum: Quoniam de amicitijs constituendis.** **Praesertim cum id tibi.** & Vnus scriptus liber habet Cum hic tibi casus, quod non aequo placet. **Ut tecum petant.** & Videtur illud Ut disjungendum, & legendum Ut ij, ut sit ad quod respondeat **Quorum.** id quod etiam uidit M. Antonius Muretus. **Quorum amicitia aut contemnenda, aut fugienda.** & Duo dicit contra duos competitors. Alterum in Antonium, alterum in Catilinam. Sic M. Cic. in orat. in toga candida, quem enim aut amicum habere potest is, qui tot ciues trucidauit, aut clientem, qui in sua ciuitate cum peregrino negauit se iudicio aequo certare posse? **Contemnenda** igitur, ad alterius sordes; **Fugienda**, ad alterius scelera refertur. **Quod ego te hortor.** & Facere scilicet. Nisi uelimus sic dictum, ut illud, **Quod te oro**, in prima orat. in Catil. Certe est, **Quod te iam dudum hortor.** **Non modo non assequi, sed ne incipere.** & Id est, tentare, quod minus est. **Incipere autem proprie dicimus, Magna.** Donatus in Terent.

QVINCTVS

NAM quid incipiat Antonius homines adiungere, atque inuitare ad amicitiam. quos per se suo nomine appellare non possit? **Mibi quidem stultius nihil uidetur, quam existimare eum studiosum tui, quem non noris.** **Eximiam quandam gloriam, & dignitatem, ac rerum gestarum magnitudinem esse oportet in eo, quem homines ignori, nullis suffragantibus meritis, honore afficiant.** **Namque, ut homo iners, sine officio, sine ingenio, cum infantia, nullis amicis saeptus, hominum plurimorum studio, atque omnium bona existimatione munitum praecurrat, sine magna culpa negligentiae fieri non potest.**

EXPLANATIO

NAM quid incipiat Antonius. & Excurrit ad probandum quod proposuit, facilius esse Ciceroni, quam competitoribus, amicos adiungere. & cum de duobus proposuerit, de uno tantum probat, ut, quod in altero sit probatum, facilius in altero credatur. Nam si nihil poterit ille, cuius amicitia contemnenda, multo minus ille, cuius etiam fugienda. **Per se suo nomine appellare.** & Amicitiae initium, cognitio: cognitionis signum, appellatio proprii nominis. Per se autem dicit, quia multi in petendo utebantur nomenclatoribus. licet lex esset, quae candidatos ut nomenclatoribus uetaret. ut dicit Plutarch. in Catone Minore. quam Cato unus aliquando seruauit, ut idem inquit. sed non esse semper seruatum docet Cic. in orat. pro L. Murena: **Quid? quod habes nomenclatorem?** in eo quidem fallis, ac decipis. Nam, si nomine appellari abs te ciues tuos honestum est, turpe est eos notiores esse seruo tuo, quam tibi. de hoc intelligit Horat. ep. 6. **Mergemur seruum, qui dicit nomina.** **Valer autem ad beneuolentiam conciliandam, suo nomine ciues appellare.** in quo commendatur Themistocles, Cyrus, alij. uide Val. Max. **Ideo infra de populari ratione dicit, Primum, id quod facis, ut homines noris, significa.** **Quem studiosum tui.** & Enallage personae. cum de Antonio loquatur, ad Ciceronem sermonem accommodat. quod eleganter factum est. **Mih i quidem nihil.** & Homines enim, cum alicui inseruiunt, ne operam uideantur perdere, se cognosci ab ijs cupiunt, quibus inseruiunt, sicuti & qui ulciscuntur, sciri uolunt ab ijs, quibus molestiam exhibuerunt, qui sint. Arist. lib. 2 Rhet. **Tvi** & Secunda persona pro tertia. Ut Terent. And. sce. 1. Nam si illum obiurges. **EXIMIAM quandam.** & Si qui sunt, quibus homines etiam ignoti, & nullis beneficijs affecti, operam nauent, horotibus eorum studeant, ij sunt, in quibus est singularis aliqua dignitas, & de quibus est eximia quaedam opinio, ut cum Scipio, & Marius absentes, consules creati sunt; ut cum alij etiam inuiti. Haec igitur cum in Antonio non sint, & cum ille homines non norit, ad suam amicitiam inuitare neminem poterit. **Nullis suffragantibus**

tibus meritis. § Cuius merita nulla exstent, quibus adducti homines illi suffragentur. NAMQUE ut homo iners. § Cum talis igitur sit Antonius, turpe esset te ab eo uinci. prout gloriosum est ab inimico praestanti superari. Haec coniunctio Namque non uidetur conuenire. Alij, Ut quidem, legunt. Mihi placeret. Itaque INERS § sine arte. Cum contra Cicero eloquentiam haberet. SINE officio. § Minime officiosus. Qualem facile agnoscas in epistola M. Tullii ad illum, quae est 5. li. 5. Fam. CVM infamia. § Propter eas causas, quas iam exposuit. NULLIS amicis saeptus. § Qui expleant, quod illi deest. Parum igitur timendum ab eo, qui & ipse infamis sit, & nullos amicos habeat. ut ep. prima ad Att. Qui sic inopes ab amicis & ab existimatione sunt. SAEP TUM, & munitum amicis. § Translationes, & pulchrae, & frequentes. HOMINUM plurimorum. § Libri scripti, & aliqui ex impressis legunt Hominem. quod probat. Ut mutuo sibi respondeat. Homo saeptus, Hominem munitum. sicuti & illa. Nullis amicis, & Plurimorum studio. Item illa, Cum infamia, & Omnium bona existimatione. PRAECURRAT. § superet in petitione. Translatio a cursoribus, sicuti, Tuorum honorum cursus cui suspectus umquam fuit? ep. 2. lib. 3. Fam. & ep. 1. ad Att. Vides in quo casu sumus. SINE culpa negligentiae. § Non illum plus te ualuisse, sed te illo negligentiorum fuisse dicerent.

QVINCTVS

QVAMOBREM omnes centurias, multis, & amicis poteris sumere. Cura, ut tui cupidi sint. elaborato, appetito, allegato, summo beneficio te assistere ostendito. Deinde habe oratores urbis totius collegium omnium pagorum, uicinitalum; ex ijs principes ad amicitiam tuam si adiunxeris, per eos reliquam multitudinem facile tenebis.

EXPLANATIO

QVAMOBREM omnes centurias. § Adiungendos esse amicos in uniuersum ostendit, & quomodo fieret, docuit. Nunc de singulis ordinibus distincte. Et primum de ijs, qui in urbe; tum de ijs, qui extra. In urbe igitur, complectendi senatores, equites, ceteriq. gratiosi. tum principes collegiorum, & pagorum. OMNES centurias. § Quia consularis, ut & reliqui magistratus maiores, comitijs centuriatis, id est maioribus, creabantur, ideo centuriarum fit mentio. Nam, cum populus Romanus uniuersus a Seruio Tullio rege, in sex classes distributus esset; ut est apud Lium lib. 1. classes autem in centum, & nonaginta tres centurias, censu, & aetate distinctas; singuli ciues ita suffragia ferebant, ut, quem cuiusque centuriae ciues plures consulem fecissent, is ab ea centuria factus diceretur. Singularum autem centuriarum suffragia, pro uno suffragio habebantur. & licet nomen centuriae a centum ductum sit, tamen cum singulae classes ex censu cuiusque certum haberent numerum centuriarum, licet longe plures, aut pauciores numero essent ciues in una quaque classe, quam ferret in suis numerus centuriarum, non tamen eorum suffragia plura ducebantur, quam numerus centuriarum, quae in ipsa classe essent. itaque, ut dixi, una centuria unum erat suffragium, sicuti & tribus comitijs, uni tribui, unum suffragium erat concessum. Dionysius Halicarnasensis, Antiquit. Rom. lib. 4. CONFIRMATAS habeas. § Ad tui studium; Confirmatas autem dicit, quasi, quae per illum iam essent paratae; amicorum studis essent confirmandae. supra, Eos prorsus magnopere compara, & confirma. PRIMVM id quod ante oculos. § Tangit tres ordines praecipuos ciuium Romanorum; Senatorium, Equitum, Plebeium. Primum Senatores ponit, quia ordo ille amplissimus, ac summus in urbe erat. Ideoq. dicit, Ante oculos est. Tum Equites. Demum ceteros homines ex plebe. CETERORVM hominum. § Et si omnes libri sic habent, tamen suspicor legendum Ceterorum ordinum. Nam illa repetitio Ceterorum hominum, Nauos homines, insulsa est. Neque nouum uideatur, cum dixerimus tres fuisse ordines Romae, positos duobus, in tertio dicere Ceterorum ordinum. Si quidem in ipsa plebe, non unus erat hominum ordo, id est, gradus, seu condicio, sed plures. In antiquis monumentis appellatur ordo scribarum, ordo praeconum, & uiatorum, itemq. alij. Denique sic locutus est Cicero pro Rabirio perduel. reo: Quid de Equitibus Romanis dicemus, qui tum una cum senatu salutem reip. defenderunt? Quid de tribubus acrijs, ceterorumq. ordinum hominibus? & pro lege Manilia: Publicani suas rationes, & copias in eam provinciam contulerunt, deinde ceteris ex ordinibus, homines nauti, & industrij. Haec cum iam pridem scripserim, uidi sic etiam a Lambino emendatum. NAVOS homines, & gratiosos. § non quosuis, sed nauos, id est industrios, & gratiosos, qui gratia ualeant. Nauos, alias, Gnauos. Vide Festum. COMPLECTERE. § Mirus est in uariando. COMPLECTERE ad amicitiam adiunge. sume. habe. MULTI homines urbani. § Alias homines urbani sunt culti, elegantes, politici. hic homines de plebe urbana, quales mercatores, artifices, libertini, & similes, qui in tribubus urbanis suffragium ferebant, quae erant minus honestae, quam rusticae. Plin. lib. 18. cap. 3. De his Lium lib. 9. Q. Fabius omnem forensium turbam excretam in quattuor tribus coniecit, urbanasq. eas appellauit. In has etiam aliquando libertini redacti sunt. ut epitoma 20. Lium. MULTI libertini. § Et si non optimum ius in ciuitate habebant: Ut qui in quattuor tribub. urbanis censentur, quod frustra in rusticis migrare saepe tentassent, tamen si qui essent gratiosi & industrij, ij poterant prodesse. IN foro namque uersantur. § Ut scribae, mercatores, insitutores, argentarij, magistratum apparitores. De quibus uide Cat.

Sigon.

Signon. lib. 2. de iure ciuium Romanorum. NAMQUE. § Omnes impressi ita habent. Scriptus, Nauig. Quod non dubitandum est, quin rectum sit. QVOS per te. § sine alterius opera. PER communes amicos. § Vi per Atticum iam alios conciliare sibi studuit, ad quem sunt illa lib. primo, epistola prima: Illam manum tu mihi cura, ut praestes, & ep. 2. Ad eorum uoluntatem mihi conciliandum maximo te mihi usui fore uideo. PER communes amicos. § Sic loquitur Cicero ep. 2. lib. 5. fam. CVRA ut tui cupidi sint. § Supra: Si adduxeris, ut ij qui uolunt, cupiant. APPETITO § studiose petito. idq. per te: infra etiam, Cognoscas, appetas, confirmes. ALLEGATO. § Missis communibus amicis, supra, Rogandi sunt diligenter, & ad eos allegandum. SVMMO beneficio te afficere ostendito. § Eos scilicet, quod non positum, tamen est intelligendum, est uero amphibologia, quae per passuum tollitur, id est te ab ijs: affici, ut docet Quintil. lib. 7. cap. 10. Itaque etiam hoc loco Afficit legit Lambinus. Haec sententia infra, Cura ut intelligant te sibi in perpetuum summo beneficio obligari. DEINDE habe oratores urbis totius. § Haec lectio primo ad spectu plausibilis uideatur, quia oratorum maxima esset gratia in urbe. Verum, quia agit hoc loco Quintus de uarijs ciuium ordinibus, atque infirmorum quidem, Oratorum autem nomen, non ordinem certum significat, sed peritiam quandam dicendi, quae in summis, infimisq. hominibus aequae esse potest: Ideo & uerbum illud Oratores, mihi semper fuit suspectum, & non possum non probare correctionem illorum, qui, Habeto rationem urbis totius, legunt. Nam, cum antea Quintus locutus sit per tempus futurum, Appetito, allegato, ostendito, etiam uerisimile est dixisse Habeto. Facillimum autem fuit libratio, ex Habeto rationem, facere Habe oratores. Praeterea, ratio etiam id persuadet. Ut, cum, de plebe agens, primum eos, qui in foro uersantur, posuerit, paulatim, se ad alias urbis partes extendat, pro ut demum etiam extra urbem egreditur. sed illud addendum, ut legamus, Etiam collegiorum secundo casu, & iungamus cum eo Omnium. deinde subdamus Pagorum, uicinitatum per asyntheron. COLLEGIORVM omnium. § De collegijs dictum supra. PAGORVM. § Pagi erant castella quaedam in locis editis, quo se agrestes homines, ubi incurfiones subitae hostium fierent, recipiebant, a Ser. Tullio in agro Romano constituti. ut Dionys. Halicar. lib. 4. Eorum incolae, pagani dicti, in plebe urbana numerabantur, quia in urbanis tribubus conferentur. De ijs M. Tullius in orat. pro domo sua: Nullum est in hac urbe collegium, nulli pagani, aut montani, quoniam plebi quoque urbanae maiores nostri conuenticula, & quasi concilia quaedam esse uoluerunt. VICINITATVM. § Locorum uicinorum. M. Cic. orat. pro Sex. Roscio. & pro A. Cluentio: Non solum municipij, sed etiam regionis illius, & uicinitatis facile princeps. Ex ijs principes. § Si ad ordines superiores referas, uiros primarios intellige. Si ad collegia, & pagos, accipiendum est de pagorum, & collegiorum magistris, qui sic dicti sunt, quia magis ceteris possent. Fest. Pomp. Ex ijs principes. § Facta enim principum, plerique studiose imitantur. M. Cic. 1. offic. & lib. 3. de legibus. Per multi imitatores principum existunt. Hinc Mobile mutatur semper cum principe uulgus, Claudianus. de 4. consulatu Honor.

QVINCTVS

POSTEA totam Italiam, fac ut in animo, ac memoria distributam, comprehensamq. habeas, ne eosque cognoscas, appetas, confirmes, cures, ut in sua ciuitatibus, tibi aliquos petant, & tua causa quasi candidati sint. Volent te amicum si suam a te amicitiam ex peti uidebunt. Id ut intelligant, oratione, quae ad rationem pertinet, consequere.

EXPLANATIO

EGREDITVR iam ex urbe, & agro Romano, & uniuersas Italiae partes, quae ius suffragij habent, pro ut & in ciuitate fecit, complectitur. iubetque, ut eas in animo comprehensas habeat. Tum ut perquirat, & confirmet homines, qui sibi faueant. Facileq. id illum posse, si apta ad id oratione utatur. POSTEA totam Italiam. § Ius ciuitatis R. toti aliquando Italiae, id est municipijs, colonijs, praefecturis, foederatis ciuitatibus, foris, conciliabulis, uarijs temporibus, uarijsq. legibus, datum est. Ut probat pluribus Car. Sigon. in lib. de antiq. iure Italiae. In animo, ac memoria. § In animo distributam. in memoria comprehensam. licet comprehendere animo, & memoria apud M. Ciceronem saepe sit. NE quod municipium. § Quod uno uerbo dixit, nunc per partes distribuit. Nomina ciuitatum Italiae ex iure ducta, sunt, municipia, coloniae, praefecturae, foederata opida, fora, conciliabula. Sig. lib. 2. de iure Ital. sed tangit tria tantum prima, quia illa maiora sunt. Sic Cic. pro P. Sextio: Nullum erat Italiae municipium, nulla colonia, nulla praefectura, quae non honorificentissime decreuisset de salute mea. & Philip. 2. Omnia municipia, praefecturas, colonias, totam denique Italiam impressit. Municipia erant opida iure ciuium Romanorum donata: Coloniae erant opida, quo P. R. ciues suos ad incolendum deduxerat. in quo differant haec inter se, A. Gel. lib. 16. Praefecturae autem erant opida in Italia, in quae Romani quotannis praefectos mittebant, qui ius dicerent, a quo onere libera erant municipia, & coloniae, quae suis magistratibus utebantur. Vide eundem Sigonium. LOCVM ne quem. § Hoc ad reliquas partes, ut sunt conciliabula, fora. FIRMAMENTI satis. § Ad suffragationem. Habere parum firmamenti. orat. pro A. Cluent. PERQVIRAS. § Sicuti loca habere nota debet, ita homines ipsorum locorum, non omnes quidem, sed eos, qui prensandi officio pro eo fungi possint. PERQVIRAS, & inuestiges. §

inuestiges. Verba significantia, prius perquiras, tum inuestiges. Quærendo enim inuestigatur, id est inuenitur. Terent. in Heauton. act. 4. sc. 1. Nihil tam difficile est, quin quaerendo inuestigari possit. *COGNOSCAS.* Bonò ordine infra, Hi cognoscendi primum sunt. *APPETAS.* supra. *CIVITATIBVS.* Placet quod est in scriptis, Vicinitatibus. Nam & supra Vicinitatum mentionem fecit. *QUASI candidati.* Notum est Candidatos dictos, qui magistratum petebant, a toga candida, quam eo tempore gestabant. hic ergo dicit, quasi candidati, ut qui pro te petunt. *VOLENT te amicum.* supra, neminem esse, a quo non facile impetres ut item: Nemo erit, qui hoc tempus sibi oblatum amicitiae tecum constituendae. *SI suam a te amicitiam.* Nam, ut dicit Seneca, luuitis nemo libenter dat. lib. 3. cap. 13. de Ben. *Id ut intelligant.* Te expetere amicitiam. supra: Modo intelligant te magni aestimare. *ORATIONE quae ad rationem.* Qua utendum petitionis tempore. significat autem orationem blandam, quam necessariam esse petitori, dicit infra.

QVINCTVS

HOMINES municipales, & rusticani, nomine tantum noti, in amicitia se esse arbitrantur. si vero etiam praesidij se aliquid sibi constituere putant, non amittunt occasionem promerendi. Hos ceteri, & maxime tui competitores, ne norunt quidem. Tu & nostri, & facile cognoscetis. Sine quibus amicitia esse non potest. Neque id tamen satis est; tamen si magnum est, sed ut consequatur spes utilitatis, atque amicitiae; ne nomen clator solum, sed amicus etiam bonus esse uideare. Ita, cum & hos ipsos, propter suam ambitionem, qui apud tribules suos, plurimum gratia possint, studiosos in centurijs habebis; & ceteros, qui apud aliquam partem tribulium, propter municipij, aut ciuitatis, aut collegij rationem ualent, cupidos tui constitueris; in optima spe esse debebis.

EXPLANATIO

HOMINES municipales. In negotio alioqui laborioso nititur ostendere esse facilitatem, si diligentiam adhibeat, atque ideo bene esse sperandum. Agit igitur de municipalibus per se, & per comparisonem competitorum; eosque primum cognoscendos dicit. tum spem utilitatis illis ostendendam. *MUNICIPALES rusticani.* Sic Verr. 3. Homines rusticani ex municipijs. Rusticani autem, quasi dicat simplices. ut contra, Urbani, astuti. Ab *αστος*, quod urbem significat. *NOMINE tantum noti.* Quae leuis est amicitia. Quare Hora. de amico illo importuno, sat. 9. lib. 1. Notus mihi nomine tantum. *NOMINE tantum noti.* Aliqui addunt, Si. & Sint. sine quibus etiam integra est sententia. *IN amicitia.* Alij legunt, In amicitis. nescio cur mutandum sit, cum & illud Latine dictum: Ut esse in clientela. in fide. & ita habetur in libris scriptis. *SI VERO etiam praesidij se aliquid sibi constituere putant.* Si, dum tibi inferuerint, praesidium in te aliquid constituere putabunt, quod te sibi obligauerint, sententia patet. uideo tamen ab alijs mutatum, praesidij in se aliquid tibi constitutum esse putent. diuerso prorsus sensu. utrum bene, nec ne, iudicent alij. Ego puto hos homines spectaturos potius, ut sibi constituent in Cicerone praesidium, quam ut in se Ciceroni constitutum putent. Infra, Multi spe praesidij tui teneantur. Postremo his duobus membris, Nomine tantum noti: est uero etiam praesidij &c. Respondent duo, quae sequuntur. Tu nosti, & ut consequatur spes utilitatis. *PROMERENDI.* Ut suo merito sibi debeas, ut dixit supra: Hos ceteri, & maxime. Iam per comparisonem rei faciliorem ostendit, quod fecit etiam antea: *NE norunt quidem.* Si non norunt, non sperandum est, ut eos sui studiosos habeant, pro ut Paullo ante probauit. *Tu & nosti, & facile cognoscetis.* Plus est Cognoscere, quam Noscere. Terent. in Eunuc. act. 5. sc. 4. Meretricum ut mores posset noscere. Mature, ut cum cognorit. ibi Donat. Cognoscere plenae perspicaciae est. *SINE quibus.* Pro quibus id est plena, & perfecta cognitione, Quibus pro quibus, etiam ep. 9. lib. 10. ad Att. Mirandum autem est, cur, cum in omnibus scriptis, non his solum de petitione, sed Virgilianis, & Epistolarum ad Att. libris, quos ipse uiderim, & in antiquis etiam lapidibus, Quis pro quibus. i. simplici scriptum sit, neque ulla apud Grammaticos, qui de hoc nomine scribunt, diphthongi sit mentio; nostris tamen temporibus cum diphthongo scribatur. *NEQUE id tamen.* Nolle tantum de facie, aut nomine. *TAMETS I magnum.* Est enim initium amicitiae, ut dictum est. *SED ut consequatur.* Videtur deesse uerbum Oportet, nisi sine uerbo ita exponamus: Magnum est, sed ita, ut consequatur: alij legunt, Si non consequatur. *SPES utilitatis.* Amicitia, non spe mercedis: Sed quod omnis eius fructus, in ipso amore inest, expetenda est. M. Cic. de amicitia. sed nomen amicorum in petitione latius patet, quam in cetera uita. *CONSEQUENTER spes utilitatis.* Cicero in Laelio: Multae, & magnae utilitates consecutae sunt. *NOMENCLATOR solum.* Qui nomen nouerit: Sed & amicus, qui amicitiam, & cum opus sit, inferuiat amico. De nomenclatione mox plura dicentur, nunc de nomenclatore hoc tantum. Mirari me, cur quidam antiquitatis amatores, Nomenclator malint, quam Nomenclator; cum sic habeant libri scripti. cum Carisus ex Verrio referat sine, u. dici debere, quasi Nominis clator. cum apud Graecos, unde hoc nomen sumptum est, sic habeatur *ονομακλήτωρ*. Ac demum in monumentis antiquae Urbis legatur, T. POMPONIVS. REPENTINVS. NOMENCLATOR. *PROPTER suam ambitionem, qui apud tribules suos.* Hoc pronocabulum, Qui, ab alijs motum loco est, & positum ibi; Qui propter suam ambitionem. sed certe sine causa. nam quid prohibet quin & hoc loco quadret, Qui apud tribules suos. cum praesertim Quinctus ipse delectetur his traiectionibus, ut supra, Parentum prope in gremijs. & item illa, Adolescentulorum ad amicitiam aetas. *PROPTER ambitionem* supra, Hominum ad ambitionem gratiosissimorum. *GRATIA possint.* Lego, Possunt. Nam in altero

tero membro est, qui ualent, gratia & auctoritate posse. ep. 9. lib. 6. fam. Et ceteros. 3 Qui minus quidem, sed tamen aliquid ualent. PROPTER municipij rationem. 3 Id est, ob aliquod munus in municipio curatum. CVPIDOS tu. 3 Vide uarietatem. studiosos habebis, cupidos constitueris. ep. 12. lib. 6. fam. Tui studiosissimum, mei cupidum. IN SPE optima. 3 Dicimus, Esse bona spe, ep. 28. lib. 12. & Esse in magna spe, ep. 19. li. 13.

QVINCTVS

I AM equitum centuriae multo facilius mihi diligentia posse teneri uidentur, primum cognoscendi sunt equites, deinde adipiscendi. multo enim facilius illa adolescentulorum ad amicitiam aetas adiungitur. Deinde habebis tecum ex inuentute optimum quemque, & studiosissimum humanitatis. Tum equester ordo sequetur illius auctoritatem ordinis. si abs te adhibetur ea diligentia, ut non ordinis illius auctoritatem solum uoluntate, sed etiam singulorum amicitijs eas centurias confirmatas habeas. Iam studia adolescentulorum in suffragando, in obeundo, in nunciando, in affectando mirifice & magna, & honesta sunt.

EXPLANATIO

EQVITVM centuriae. 3 Ser. Tullius, cum P. R. in classes, & centurias diuisit, ex ijs alias equitum, alias peditum esse uoluit. fuerunt autem equitum centuriae decem, & octo, & primae ad suffragium ferendum uocabantur. Linius lib. 1. Haec tamen de peditibus, nunc de equitibus. De ijs eodem fere ordine, quo & antea de alijs. Primum ostendit facile esse, ut habeantur, causae porro duae, quia iuuenes, quia sequentur ordinis equestris auctoritatem. Tamen agendum cum ijs diligenter, tum quomodo: quamque uariis sit futurus fructus docet. PRIMVM cognoscendi. 3 Sine notitia amicitia esse non potest, ut dictum est, ideo hoc praecedat oportet; semper igitur fere id inculcat. MVLTQ ENIM facilius. 3 Ratio necessaria, quia breuiter admodum dixerat, Cognoscendi, deinde adipiscendi; ut si nullo negotio id fieri posset. Multo enim facilius, inquit, adolescentulorum aetas ad amicitiam adiungitur, quam ceterorum hominum, cum quibus, & per communes amicos agendum est. & spes utilitatis ostendenda. atque hoc dictum est ex doctrina Arist. lib. 8. de moribus. ubi ait iuuenes celeriter & amicos fieri, & amate desinere. DEINDE habebis. 3 Suo loco omnia sunt posita. cum cognoueris, & id quod facile est, adeptus fueris, tum tecum habebis. Haec cum ita sint connexa, ut ostendi, & ita legantur in libris impressis, & scriptis: Lambinus tamen in uerso ordine haec duo membra edidit. ut priore loco ponat. Deinde habebis tecum. Tum subijciat: Multo enim facilius. HABEBIS tecum optimum quemque, & studiosissimum humanitatis. 3 Qui te adiuent in petitione. In ijs autem duo requirit potissimum, bonitatem, & humanitatem: Quibus commendari adolescentes solent. M. Cicero pro Coelio: Sed ego Atracino humanissimo, atque optimo adolescenti ignosco. TVM autem quod equester ordo. 3 Correctio huius loci existat apud Corradum in Quaestura. Hoc modo: Tum autem quod equester ordo tuus est, sequentur illi, huius auctoritatem ordinis: neque aliter profus legendum est. nam in uulgata lectione, uidebantur collocati equites in ordine diuerso ab equestri. & equester ordo secuturus esse partem sui, id est equites. cum potius secus esse debeat. EQVESTER ordo tuus est. 3 Ut in principio: Habes omnes publicanos, totum fere equestrem ordinem. TVVS est. 3 Hic loquendi modus, qui ad popularem proxime accepit, frequens est apud Latinos. Terent. Andria sc. ult. Tuus est nunc Chremes. Plane, ep. 24. lib. x. fam. Me proprie: tuum esse tibi persuadeas. & M. Cic. ep. 8. lib. xv. Necessè est, ut sim totus uester. SEQVENTVR illi huius ordinis. 3 Illi equites sequentur auctoritatem huius ordinis equestris, ut pars totum sequi solet. Si abs te adhibebitur diligentia. 3 Si curabis, ut non solum totum ordinem in uniuersum amicum habeas, sed praecipue has centurias. VOLVNTATE. 3 Illa animi propensione, quae est uniuerso ordini communis. SED etiam singulorum amicitijs. 3 Ut singulari alicuius amici opera, & gratia, magis, ac magis confirmetur. IAM studia adolescentulorum. 3 Hi sunt diligentiae fructus. IN suffragando. 3 Ipso comitiarum tempore, ut in causa Clodiana. cum dies uenisset rogationis, inquit M. Cicero lib. 1. ad Att. Concurfabant barbatuli iuuenes, & populum, ut antiquaret, rogabant. IN obeundo, in nunciando. 3 Si tuo nomine adiri aliquem uelis, eique aliquid nunciari. Obire pro adire, saepe apud ueteres. uide Festum Pomp. infra cum obeunt plures competitores. IN affectando. 3 De officio affectationis, mox uidebimus. Magna uero, quod studia haec dicit, ad suffragandum refer. Honesta ad affectandum, quia magnam afferunt dignitatem.

QVINCTVS

ET quoniam affectationis mentio facta est, id quoque curandum est, ut quotidiana cuiusque generis, & ordinis, & aetatis utare. Nam ex ea ipsa copia coniectura fieri poterit, quantum sis in ipso campo uirum, & facultatis habiturus. Huius autem rei tres partes sunt. Una saluatorum, cum domum ueniunt. Altera deductorum. Tertia affectatorum. In saluatoribus, qui magis uulgares sunt, & ad hanc consuetudinem, quae nunc est, plures ueniunt, hoc efficiendum est, ut hoc ipsum minimum officium eorum, tibi gratissimum esse uideatur. Qui domum tuam ueniunt, ijs significato.

M m cato,

cato, te animaduertere, & eorum amicis, qui illis renunciant, ostendito, saepe ipsis dicito. sic homines saepe, cum obeunt plures competitores, & uident unum esse aliquem, qui haec officia maxime

animaduertat, ei se dedunt, deserunt ceteros. Minutatim ex communibus, proprii, ex suocis, sumi suffragatores euadunt.

EXPLANATIO

ET quoniam affectationis. Quoniam in petitione utendum est amicis, non solum in suffragio ferendo, uerum in plurimis alijs officijs, ut paullo ante retigit, ideo facta mentione affectationis, arripit occasionem agendi pluribus de ijs ipsis. Diuidit igitur in tres species. Salutatorum, qui domum ueniunt. Deductorum, qui comitantur ad forum. Affectatorum, qui usque sectantur. Atque in salutatoribus quidem officium illorum leuius esse dicit, sed ostendendum tamen id esse gratissimum, quod id utile futurum sit. Et quoniam mentio. Modus connectendi. sic de claris oratoribus: Et quoniam Stoicorum est facta mentio. Cuius generis. Nobilium, ignobilium. ORDINIS. Patriciorum, & Plebeiorum. AETATIS. Adolescentiorum, seniorum. supra, instituendi sunt cuiuscumque generis, amici. VTARE. libri duo scripti habent Vtare frequentia, quae uox non est in impressis. & fortasse desideratur. licet uerbum Vtare, referri etiam possit ad affectationem. IN ipso campo. Martio. ubi magistratus creabantur, dictum per eclipsim, ut ep. 30. lib. 7. fam. VIRIVM. Si enim multi te affectabuntur, indicium erit te multos habiturum fautores. Quare ualde etiam ad rem pertinere dicit, Ut temper sit cum multitudine. Non dissimilis est illa sententia in orat. pro Murena. Ex uultu candidatorum coniecturam faciunt, quantum quisq. animi & facultatis habere uideatur. HVIVS autem rei. Diuisio. VNA salutatorum. Quibus primae duae diei horae tributae erant. Martialis lib. 4. Prima salutantes, atque altera derinet hora. De hoc M. Cic. ep. 20. lib. 9. Mane salutamus domi bonos uiros. Virg. lib. 2. Georgic. Mane salutantum totis uomit aedibus undam. QVI magis uulgares. Minoris pretij. & ideo deductorum officium maius, quam salutatorum dicit. Nam hi, ubi salutauerant, discedebant. Ad hanc consuetudinem. Salutandi. Cic. ep. 16. lib. primi, ad Att. Cum bene completa est domus tempore matutino. Hoc ipsum minimum officium. Licet minimum, tamen uideatur gratissimum. nam sperant multo gratiores fore in maximis. QVI domum tuam ueniunt. Ut te salutent, ut ep. 28. lib. 2. Fam. Veni consulis Antonij saepe domum salutandi causa. SIGNIFICATO te animaduertere. Supra, Te uidere plane, atque animaduertere, quantum ab unoquoque proficiscatur: sic enim libentius agunt. Et eorum amicis ostendito. Tribus uerbis utitur. Significare. Ostendere. Dicere. Significare minus est, quam Ostendere, ut etiam in sequentibus. Nam, nui etiam significamus. Vt Quid lib. 5. eleg. 2 de tristibus: Per gestum res est significanda mihi. Ostendere autem non solum oculis obijcere, & contra tendere: Sed etiam uerbis. M. Cic. plurimis in locis, ut ep. 1. lib. 4. Fam. Ostendi me esse dicturum. & Terent. in Adelphis sc. 2. act. 1. Te plura peccare ostendam, id est probabo. SAepe ipsis dicito. Aperte. posuit ergo in medio, quod utriusque commune est. Sic homines. Hoc igitur ex hac diligentia consequitur. Obervnt. Adeunt supra. Haec officia animaduertat. Sciant, se ea non profundero. DEDVNT se. Totos, uni, in perpetuum. DESERVNT. Verba ex militia supra. MINVtatim. Paullatim. Aduerbiu, quo saepe Lucretius utitur. lib. 5. Inde minutatim processit ferreus ensis. & Virg. lib. 3. Georg. Ex communibus proprii. Iam enim dixit, Deserunt ceteros. Communes, & proprii. antitheta sunt. Cic. de senect. Non proprium senectutis uitium, sed commune ualitudinis. & ep. ult. lib. 4. Non debes propriam postulare, aut communem recusare. Ex suocis. Id est, simulatis, non ueris. sic Fucofae amicitiae, ep. 16. libri primi ad Atticum.

QVINCTVS

IAM illud teneto diligenter, si cum, qui tibi promiserit, fucum, ut dicitur, facere uelle audieris, aut senseris, ut te id audisse, aut scire dissimules; si quis tibi se purgare uolet, quod suspectum esse arbitretur, affirmes te de illius uoluntate numquam dubitasse, nec debere dubitare. Is enim, qui se non putat satis facere, amicus esse nullo modo potest: Sci-

re autem oportet, quo quisque animo sit, ut etiam quantum cuique confidas constituere possis. Iam deductorum officium, quo maius est, quam salutatorum, hoc gratius tibi esse significato, atque ostendito. & quoad eius fieri poterit, certis temporibus descendito. Magnam affert opinionem, magnam dignitatem, quotidiana in deducendo frequentia.

EXPLANATIO

IAM illud. Alterum, quod in salutatoribus obseruandum illud est, Ne nos quidquam sensisse de alicuius uoluntate ostendamus, etiam si sciamus eum decipere nos uelle. immo etiam causam nullam esse suspicandi de illo affirmemus. Praeterea in deductoribus ostendendum, carum esse eorum officium, & cum ijs descendendum aliquando ad forum. FV CVM facere. Prouerbiu: id est, artificiosis uerbis deludere. Aliud pro alio uenditare. Vt, qui oris colorem, a naturali diuersum pigmentis mentiuntur. Huic contrarium est illud sine fucis, & fallacijs. ep. 1. lib. 1. ad Att. Vt te id audisse. Ab alijs. AVT scire. Per te. DISSIMVLES. celes. Si hoc tamen illud satis exprimit. Nam Terent. utrumque coniunxit sce. 1. And. Dissimulatum amorem,

amorem, & caelatum indicat. Vult autem eum facere, quod prouerbio dicitur, Cretiza cum Cretensi. *Si quis tibi se.* § Vt solent, qui sui animi sibi sunt conscij. Terent. Heauton. act. 4. sce. 1. Nescio quid peccati portat haec purgatio. *AFFIRMES te de illius.* § Duplex responsio; Nec dubitasse, nec dubitandi causam esse. *Nec dubitasse.* § quod in te est. Nec debere dubitare, quod ab illo nulla praebeatur occasio. Potest autem quis non dubitare, etiam si causa oblata sit. *QVI se non putat satisfacere.* § Exculationem suam ueram probare. satisfacere uerbis se excusare. ep. 12. lib. 8. Fam. Ne cui satisfaceret quidem. & ep. 13. lib. 7. Nec satisfactionem meam accipis. *AMICVS esse nullo modo potest.* § Vt qui timet, ne iniquo in illum animo simus. Huc refer, quae de amico scribit Seneca ep. 3. lib. 1. Fidelem si putaueris, facies. Multi fallere docuerunt, dum timent falli. & illi ius peccandi, suspicando fecerunt. *SCIRE autem.* § Ita dissimulandum est, ut tamen demus operam, ut perspectum cuiusque animum habeamus. supra. Perpendito, quid quisque possit, ut scias, & quid a quoque expectes. & paullo post: Ne spe in aliquo maiore posita, praesidij parum comparetur. *IAM deductorum officium.* § Alterum hominum genus, qui Deductores dicti sunt, quod senatores domo deducerent, reducerentque. quod praecipuum erat munus clientum erga patronos, & iuuenum etiam erga natu maiores, quo die senatus habebatur. ut Val. Max. lib. 2. Erat mos etiam deducere candidatos in campum. Vt M. Cic. ep. 1. lib. 2. ad Atticum. *QVO maius est.* § Quo, habent scripti. Quod, impressi. non bene. *QVAM saluatorum.* § Quod illi post saluationem discedunt. deductores comitantur, & reducunt. *QVOD eius fieri poterit.* § Quantum licuerit. sic loquitur Cic. ep. 2. lib. 3. & 8. lib. 5. Fam. & alij. Eius autem per *παρίκλον* additum est. ut obseruat Budaeus in commentario linguae Graecae. *DESCENDITO.* § Ad forum. ut supra. *MAGNAM affert opinionem.* § Apud populum. *DIGNITATEM.* § Quod attinet ad tuam personam. *QVOTIDIANA in deducendo frequentia.* § Vt multi, & quotidie te domo deducant.

QVINCTVS

TERTIA est ex hoc genere assidua affectatorum copia. In ea quos uoluntarios habebis, cura ut intelligant, te sibi in perpetuum summo beneficio obligari. Qui autem tibi debent, ab ijs plane hoc munus exigit: qui per aetatem, ac negotium poterunt, ipsi tecum ut assidui sint. Qui si ipsi sectari non poterunt, necessarios suos in hoc munere constituent; ualde ego te nolo, & ad rem pertinere ar-

bitror, semper cum multitudine esse. Praeterea magnam affert laudem, & summam dignitatem, si ij tecum erunt, qui a te defensi, & qui per te seruati, ac iudicijs liberati sunt. Haec tu plane ab ijs postulato, ut quoniam nulla impensa, alij rem honestam, alij salutem, ac fortunas omnes obtinuerant, nec aliud ullum tempus futurum sit, ubi tibi referre gratiam possint, hoc te officio remunerent.

EXPLANATIO

TERTIA est. § De affectatoribus. Hi, quoniam plurimum possunt, ideo pluribus de ijs agitur. Honorum alij uoluntarii, alij debent. Hi si possint nobiscum sint; si non possint, alios constituent, exigendum uero id hac ratione, quod nullo alio tempore gratiam referre melius possint. **TERTIA** est, § Pars scilicet, a superioribus. **ASSIDUA.** § Qui adest, Assiduus dicitur. **VAR.** & Assiduitas pro iugi officio comitandi. M. Cic. pro Deiotaro: Praebere assiduitatem alicui. **QVOS uoluntarios.** § Nullo beneficio tuo. **TE summo beneficio.** § Supra: Te summo beneficio affici ostendito. **QVI autem tibi.** § Tuo beneficio. **AB ijs plane.** § Aperte. ut paullo post: Plane ab ijs postulato. **EXIGE** § Quia debitum. **sup.** **QVI per aetatem, ac negotium.** § Duo sunt enim impedimenta, si senes sint, & si occupati, ut affectari nequeant. Non sunt ab amicis petenda, quae praestare non possunt. **NECESSARIOS suos constituent.** § Qui referant eorum personam. M. Cic. Dare uicarium. & succedere uicarium muneri alterius dixit. **VALDE ego** § Redit ad initium, ex ipsa copia coniectura fieri poterit, ut supra. **ET ad rem.** § Necessarium putat, ut multos secum habeat. Honestum uero, ut ex ijs praecipue, quos defendit. **AFFERT laudem, & dignitatem.** § Supra etiam, Opinionem, & dignitatem; laudem apud populum. dignitatem tibi. **QVI a te defensi.** § Apparebit enim, qualis uir sis. dicit autem, prius, qui defensi sunt; deinde qui seruati; quod non omnes, qui defenduntur, iidem seruantur. **VT quoniam.** § Honesti causa. **NULLA impensa.** § Erat enim lex Cincia de donis, & muneribus, aduersus eos, qui preterito causas orauissent. de qua meminit Cornelius Tacitus lib. 13. & 15. M. etiam Cic. in 2. offic. dicit, in moribus patriis fuisse, ut oratores causas gratuito defenderent. **REM honestam.** § M. Antonius Muretus legit Honestatem. Idque probari uideo. Erat autem Honestas, honor seu existimatio, ut pro Rabirio Postumo, Si honestate spoliatum audierit. Actangit tria illa praecipue, quae solent hominibus esse carissima, & de quibus in iudicijs saepe disceptant. Dignitatem, salutem, opes; quorum alia in alijs iudicijs, interdum omnia uno in iudicio in discrimen ueniunt. ut pro Rabirio pruduel. reo. In hac defensione capitis, famae, fortunarum omnium. Ad quae tria respexisse arbitror Curium in ep. 29. lib. 7. fam. cum dixit: Quod simus, quod habeamus, quod homines existimemur. Pone uero primo loco honestatem, ut quae praeferratur ceteris rebus soleat. Nam inuenti multi sunt, qui non modo pecuniam, sed uitam etiam profunderere pro patria parati essent, iidem gloriae iacturam ne minimam quidem facere uellent, ut lib. primo off. Coniungit demum salutem, ac fortunas, quod fere iidem in iudicijs, & de salute, & de fortunis hominum agi soleret, ep. 8. lib. 6. Eius salutem, & fortunas ueri, & pro. P. Sextio: De capite ciuis, & de bonis profectipio

Mm 2 ferretur.

ferretur. Nae aliud ullum. § Supra, Ut intelligant nullum tempus aliud se umquam habituros restituendae gratiae. Hoc te officio. § Si grati esse uelint. M. Cic. pro Murena: Homines tenues, unum habent in nostrum ordinem aut promerendi, aut referendi beneficii locum, hanc in nostris petitionibus operam, atque assiduationem. Quod licet non magnum sit, ipsa opportunitate sit magnum, ut est in Graecorum sententiis, *ὅς μέγα τὸ μακρόν ἐστὶν ἐν καιρῷ δοῦν.*

QVINCTVS

ET quoniam in amicorum studijs haec omnis oratio uersatur: qui locus in hoc genere cauendus sit, praetermittendum non uidetur. Fraudis, atque insidiarum, & perfidiae plena sunt omnia. Non est huius temporis perpetua illa de hoc genere disputatio, quibus rebus beneuolus, & simulator di-

iudicari possit. Tantum est huius temporis adnere. summa tua uirtus, eosdem homines, & simulare tibi esse amicos, & inuidere, coget. Quamobrem *Ἐπιχάρμειον* illud teneto, Neros, atque artus esse sapientiae, non temere credere.

EXPLANATIO

IN unaquaque praeceptione, alia traduntur, quae facere; alia, quae cauere oporteat. haec de amicis, & amicorum studijs parandis; nunc, quid in his cauendum sit, docet. multos esse amicos fictos, qui illi inuideant. Videat igitur, ne temere credat. *IN amicorum studijs.* Quae est prior ex duabus partibus, in quas diuisa rationem petendi. *FRVDIS, atque insidiarum.* § Sententia apud scriptores frequens. Virgil. lib. 4. Aeneid. Nusquam tuta fides. & Terent. in Adelphis, ac. 3. sc. 2. Quid credas iam, aut cui credas? & in And. Nulla ne in re esse homini cuiquam fidem? *PLENA sunt omnia.* § Sic M. Cic. ep. 22. lib. 9. Stultorum plena sunt omnia. & in orat. Inuidis referta sunt omnia. *NON est huius temporis.* § Occurrit, cur non det praecepta, quibus dignoscat amicum a simulatore. Non est, inquit, huius temporis id tractare, *QVIBVS rebus beneuolus, & simulator.* § Hoc tractat iusto uolumine Plutarch. Et Maximus Tyrius sermone quarto. *SUMMA tua uirtus.* § Nihil amabilius uirtute. Cicero de amicitia: Sed improbi quidam, cum uirtutem oderint, tamen simulant se amare, timentes publicum odium, aut poenam. *ET inuidere.* § Hanc esse sui saeculi labem dixit M. Cic. orat. pro Cornelio Balbo, Virtuti inuidere. Sed ego saeculorum omnium hoc malum esse arbitror. Themistocles quidem etiam num adolefcens cognoscebat, Se nihil splendide gessisse, quod sibi adhuc nemo inuideret. ut Plurach. de inuidia & odio. & Linius lib. 48. Caecam esse inuidiam dixit, nec quidquam aliud scire, quam detrectare uirtutes. *QVAMOBREM Ἐπιχάρμειον.* § Epicharmus fuit poeta Comicus ex Sicilia, ut Suidas. *Quem imitatus est Plautus.* Horat. epistola prima. lib. 2. Huius apud M. Ciceronem alia quae existant sententiae, & haec in primis, lib. primo ep. ad At. *Νῆφε, καὶ μέγιστον ἀπίσειν ἀφρα ταῦτα τῶν φρενῶν.* Id est, Vigila, & memento non credere. artus hi quippe sunt mentis. sed elegantius eam extulit Quinctus. Habetur etiam apud Lucianum in Dialogo de sectis, & apud Suidam in uerbo, *Νῆφε.* Euripides Helena, Prudenti incredulitate nihil esse mortalibus utilius, dixit. Multo uero ante, in Ecclesiastico lectum est, Eum, qui cito credit, leuem esse corde. Sed totam hanc reu Isocratis praecepto concludamus, qui ad Democritum ita scribit. *προσῆκειν ἡγοῦσθαι πονηροῖς ἀπίσειν ὡσπερ τοῖς χρηστοῖς πιστεύειν.* Id est, Aequae conuenire existima, & malis non credere, & bonis credere. Docet etiam Graecus ille uerticulus, *Μὴ πάντα περιώπασι πιστεύειν ἀλλ.* Neque omnia credenda esse, neque omnibus, neque semper.

QVINCTVS

ET cum tuorum amicorum studia constitueris, tum etiam obtrectatorum, atque aduersariorum rationes, & genera cognoscito. Haec tria sunt: Unum ex ijs, quos laesisti; alterum, qui sine causa non amant. Tertium, qui competitorum ualde amici sunt. Quos laesisti, cum contra eos pro amico diceres, his te purgato plane: necessitudines commemorato: in spem adducito, te in eorum rebus, si se in amicitiam contulerint, pari studio, atque officio

futurum. spondeto. Qui sine causa non amant, eos aut beneficio, aut spe, aut significando tua erga illos studia futura, delenies; dans operam, ut de illa animi prauitate deducas. Quorum uoluntas erit abs te, propter competitorum amicitias, alienior, his quoque inferni, oratione, qua superioribus. et, si probare poteris, te in eos ipsos competitores tuos beneuolo esse animo, ostendito.

EXPLANATIO

ET cum tuorum amicorum. § Nemo umquam ita ab omni parte omnibus probatur, quin habeat aliquos aemulos, & obtrectatores, qui ei aduersentur. ergo, ut parare amicos, sic aduersarios lenire necesse est, de hoc igitur nunc. Horum tria sunt genera. Quos laeserit. Qui sine causa non amant. Qui competitoribus sint amici. Primis se se purgare. Alteros delenire. Vltimis, beneuolo nos esse animo erga. Competitores probare opus est. *ET cum tuorum amicorum.* § De quo haec tenet egi. *TYM etiam obtrectatorum.* § Qui

Qui

Qui nos maledictis laedunt, in inuidiam adducendo. *ADVERSARIORVM.* Qui aduersus nos aperte agunt: supra dixit, esse studia, quae illi aduersentur. *HAEC tria sunt.* Nam aut cum causa, aut sine causa aduersantur. cum causa, aut sua, aut aliorum. sine causa unum est genus. *QVOS laesisti cum contra eos.* Etiam alijs modis laesisse poterat, sed, ut caussarum defensionibus mirebatur eius petitio, sic obrectatores ex hoc potissimum nascebantur. Nam & mordacitate dicendi, & testimonio, multos oppresserat, ut Plutarch. in uita. *NECESSITVDINES commemorato.* Quae tibi cum eo fuerint, pro quo dixeris. *IN spem adducito.* Ratio optima. nam cum eo pacto nos graues, & in amicitia constantes probamus; tum tales nos fore cum illis, si opus fuerit, ostendimus. Pulchre enim de parandis amicis Isocrates: Talem spera erga te fore amicum, qualis erga alios fuerit. *PARI studio.* Hoc docet & M. Cic. lib. 2. offi. Vtendum est exultatione, inquit, aduersus eos, quos inuitus offendas, quacumque possis, quare id quod feceris, necesse fuerit, nec aliter facere poteris; ceterisq. operis, & officijs erit, quod uiolatum est, compensandum. *STVDIO, atque officio.* Studium animi est, officium opera probatur. coniunguntur ep. 6. & 7. lib. 1. & 2. lib. 1. 2. fam. & ep. 1. lib. 1. ad Atticum. *Si se in amicitiam.* Si tibi amici sint facti. M. Cic. ep. 17. lib. 7. Cum te in amicitiam meam, ac fidem contulisses. *SPONDETO.* Hoc uerbum aut uacat, nam satis est In spem adducito; aut separatum pronuncian- dum est, Vt in spem adducat: tum & spondeat etiam. *QVI sine caussa non amant.* Prava aliqua animi indu- ctione, nulla nostra culpa. ep. 17. lib. 2. Bibuli uoluntas a me sine causa abhorreret. *AVT beneficio, aut spe.* supra, Beneficium aut habeant, aut ut habeant sperent. *DELENIES.* Mulcebis, hectes. sic pro Milone: Ple- bem tribus patrimonijs deleniret. *DANS operam, ut.* Non dixit, Delenies; ac deduces, sed dans operam, ut deducas, quasi rem arduam ostenderet. *DE illa prauitate deducas.* demoueas, abstrahas. Sic Deducere de sententia ep. 5. lib. 2. Att. Ab eo deduci non potest, ep. 1. lib. 1. fam. *QVORVM uoluntas.* Vide uarietatem. Quos, Qui, Quorum. *VOLVNTAS alienior.* Aduersa, inimica. usurpatum est comparatiuum, pro positiuo. quod nouum non esse uel Plutarch. obseruauit Symposiakon lib. 5. quaestione 4. Sic M. Cic. ep. 17. lib. 2. Sin a me est alienior. *HIS quoque inferui.* Non desperandum est, sed patientia uincendum. *IN SERUI.* Alij, Inferui- to legunt, ut respondeat ad illud Ostendito. Sed libri scripti habent Inferui, & fortasse rectius. nam illud Inter- uito insuaue est auribus, & haec temporum uariatio, supra etiam habetur; Cura, ut tui cupidi sint, elabora- to &c. *ORATIONE qua superioribus.* Significando tua erga illos studia futura. *ET, si probare poteris.* Te amicum esse amicorum illorum, ualde proderit. nam minus acerbe contra te agent; si probare, inquit, poteris, ne uidearis aperte mentiri. Nam uix uerisimile uideretur.

QVINCTVS

QVONIAM de amicitijs constituendis satis di- ctum est, dicendum de illa altera parte peti- tionis, quae in populari ratione uersatur. Ea deside- rat Nomenclationem, blandiciam, assiduitatem, be- nignitatem, rumorem, spem in rep. Primum, id quod facis, ut homines noris significa; ut appareat, & auge, ut quotidie, melius fiat. Nihil mihi tam po- pulare, neque tam gratum uidetur. Deinde id, quod natura non habes, induc in animum, ita simuland- um esse, ut natura facere uideare. Non comitas ti-

bi necesse est ea, quae bono, ac suaui homine digna sunt; sed opus est magnopere blandicia; quae, etiam si uitiosa est, & turpis in cetera uita, tamen in peti- tione necessaria. Tibi enim cum deteriore aliquem assentando facit, improba est; cum amiciorem, non tam uituperanda. Petitori uero necessaria est, cu- ius & frons, & uultus, & sermo ad eorum, quos- cumque conuenerit, sensum, & uoluntatem com- mutandus est.

EXPLANATIO

QVONIAM. Petitionem magistratuum in duas partes diuisa esse iam dixit, quarum altera in amicorum studijs, altera in populari uoluntate posita esset. De amicis haecenus. Nunc ad alteram, qua popu- li uoluntas conciliatur, transit. Proponit ergo sex, quae ad id faciunt, & de singulis in tota hac parte agit. Prima uersatur in cognoscendis ciuibus, & suo nomine appellandis: quod gratissimum populo esse dicit. Se- cunda in quadam simulatione, qua se standum hominibus ostendat, etiam si non sit. quod alio tempore uiti- osum esse fatetur, in petitione etiam necessarium. *DE amicitijs.* Aldi liber scriptus habet Amicis: supra dixit iterum, Constituere amicitiam. Itaque hoc probatur. *DICENDVM.* Vsitatus epilogus, cum prae- paratione ad futura, quam transitionem uocat auctor ad Herennium lib. 4. Haec, cum ostendit breuiter quid dictum sit, proponit, item breuiter, quod consequitur. *IN populari ratione.* Quae ad populum in uniuersum pertinet, non ad singulos amicos. *EA desiderat.* Singula si ponderentur, & necessaria, & bono ordine posita uidebuntur. *SPEM in rep.* Liber scriptus legit Spem in rep. Lambinus correxerat Speciem in rep. quia uerba illa infra posita, Cura, ut petitio tota pompae plenae sit, ad hoc uideantur respondere. Sed nullam uideo mutationis necessitatem, cum consentiant omnes libri, cumque huic membro respondeant illa: Atque etiam uidendum, ut spes reip. bona de te sit. Praeterea praeceptum hoc de spe reip. de Cicerone necessarium omnino uideretur. Illa autem de specie, & pompa ad epilogum spectant, ut suo loco dicemus. *PRIMUM.* Hoc ad Nomenclationem attinet. *Id quod facis.* Ita monet, ut eum potius laudet, & compro- bet, quod facit, quam moneat. *Quid lib. 5. eleg. 2. Trist.* Qui monet ut facias, id quod facis, ille monendo, Lau- dat, & hortatu comprobata suo, *VT noris significa.* Eos nomine suo appellando, de hoc supra. *Et auge* supra

supra: Hos tu & nosti & facile cognosces. Vt *quotidie melius*. & Obliuio enim nominum ad concitandam iram ualet, nam negligentiae signum uidetur, ut Arist. lib. 2. Rhet. *Nihil tam populare* & Valer ad conciliandam beneuolentiam, si maior minorem nomine appeller. Sic Donatus in Adelphos Terentij, ac. 5. sc. 6. Moris est inferiores proprio nomine appellare, si blandiri uelis. Sospiter Carifius ex P. Rutilio Rufo: Pompeium elaborasse, refert, ut populum Romanum nosset, eumq. artificiose salutaret. Isocrates etiam Demonicum suum monet, ut in appellando, salutandoq. comis, atque affabilis esse uelit. & M. Cic. lib. 2. offic. Difficile dictu est (inquit) quantopere conciliet animos comitas, affabilitasq. sermonis. *DEINDE id, quod natura*. & Hoc ad blanditiam pertinet, in qua simulandum est, & assentandum hominibus. *NATURA non habes*. & ep. 5. lib. 12. ad Att. se minime esse blandum dicit. *VT natura facere uideare*. & In huius libri principio dixit, In paucorum mensium negotio, simulationem posse naturam uincere. Haec autem summa ars est, artem tegere. de hoc lib. 3. Rhet. Curandum, ut a natura dicere uideamur: hoc enim ualet ad fidem. sin fide, contra. Hinc Ouid. de arte: Si latet ars, prodest, affert deprenta pudorem. *NON comitas tibi necesse est ea*. & Hic locus deprauatus est, in libris tam calamo exaratis, quam impressis. & licet tentatus sita nonnullis, non satis correctus est. Comitas primum non est uerbum, sed nomen, & uirtutem illam significat affabilitati coniunctam, de qua paullo ante. Itaque in libris scriptis habetur unico, M, & unico, T, scriptum. Deinde illud necesse est, hic locum non habet, siue rationem Latini sermonis spectes. quis enim sic loquitur, Non necesse est comitas? siue etiam sententiam scriptoris. non enim negat necessariam illi esse comitatem, quae necessaria prorsus erat, sed, cum eam habeat, opus tamen esse etiam blanditia dicit. *Quare uidetur legendum*, Non comitas tibi deest ea, quae bono, ac suani homine digna sit. Quod ideo dicit, quia quaedam est comitas adulationi proxima, quae non est homine bono digna. Ciceron in Laelio: In obsequio comitas adit, assentatio amouetur. Verum autem esse, quod dicit Quintus de Fratre, non deesse illi comitatem, confirmat Plutarchus, qui, in comparatione Ciceronis cum Demosthene, scribit, eum ad iocos, & facetias aptum natura fuisse, uultumq. illius risum, & hilaritatem quandam praefetulisse. Haec ego sic correxi, & exposui, ut dixi. sunt tamen, qui, uulgarum lectionem defendentes, exponant. Non comitas tibi necesse est, pro non necessaria est, non opus est. ideo autem non necessaria, quia ea abundas. quorum ego sententiam neque damno, neque probo. *BLANDITIA quae etiam si uitiosa*. & Fateur esse uitiosam, sicut in 4. de rep. M. Cic. In ciue excelso, atque homine nobili, blanditiam, ostentationem, ambitionem nimiam, esse leuitatis. & in lib. de amic. Beneuolentiam ciuium, blanditijs, & assentationibus colligere turpe esse dicit. *IN petitione*. & Vt fautores compares. *TIBI enim cum deteriorem*. & Spectandus est finis, quo quis ad agendum mouetur. *TIBI enim*. & Illud tibi corruptum uidetur Lan. binus edidit, Etenim. Mihi placer, Tunc enim. *CVM amicorum non tam*. & Vituperanda igitur, sed non tantum. *ETIAM necessaria*. & Vt colligat beneuolentiam. *CUIVS & frons, & uultus*. & Proprium hoc assentationis, Cic. lib. de amicitia: Qui ad alterius non modo sensum, ac uoluntatem, sed etiam uultum, atque nutum conuertitur. *Et sermo*. & Ex quo illud, Loqui ad uoluntatem.

QVINCTVS

IAM assiduitatis nullum est praeceptum; uerbumq. ipsum docet, quae res sit. Prodest quidem uehementer, nusquam deesse: sed tamen hic fructus est assiduitatis, non solum esse Romae, atque in foro, sed assidue petere, saepe eosdem appellare, non committere, ut quisquam possit dicere, quod eius sit, consequi possis, si abs te non sit rogatum, & ualde, ac diligenter rogatum. Benignitas autem late patet, & est in re familiari, quae, quamquam ad multitudinem peruenire non potest, tamen ab amicis laudatur, & multitudini grata est. Est in conuiujs, quae facete abs te, & amicis tuis concelebrentur, & passim, & tributim.

EXPLANATIO

IAM assiduitatis. & De hac pauciora tradit, quia per se satis patet, tamen magnum eius fructum esse dicit, si assiduus sit Romae & in foro, & saepe eosdem appeller: proposito etiam metu iustae reprehensionis, si sibi de fuerit. De benignitate pluribus agit, & triplicem illam facit, in re familiari, in conuiujs, & opera. & de singulis separatim. *NULLVM est praeceptum*. & Quid agendum sit, Nam, ut assidui simus, uerbum ipsum indicat, de quo supra ex Varrone. Hinc M. Cic. tertia Verr. Vt prober emptam a Verre praeturam, non assiduitate paratam, dicit, eum Romae, post quaesturam, uix triduum constituisse. Contra uero pro Plancio: Valuit Plancius assiduitate, ualuit obseruandis amicis, ualuit liberalitate. Fuit in oculis, petiuit. & ante dixerat, numquam cum ex urbe abfuisse. *PRODEST quidem*. & Nam assiduitate, quodlibet assequi datur, ut est in Graecorum sententijs. *NON solum esse Romae*. & Habitare in oculis dicit pro Plancio: Sensi Populum Romanum aures hebetiores, oculos acres, atque acutos habere. *ATQVE in foro* & Quipe in forum conueniebant candidati, ut supplicarent. Val. lib. 4. cap. 5. de L. Crasso. *SAEPE eosdem appellare*, & Nihil ueritus, ne molestus sis. Inde uerbum Prenotare frequentatiuum. *NON committere*. & Quasi tu tibi deesse uidearis. *QVOD eius sit*. & Verba accusantis negligentiam candidati. Quod eius sit: id est iusfragium illius consequi possis. modo tu diligenter roges. *SI abs te non sit rogatum*. & libri scripti non habent negationem, Non.

non. Et prorsus est expungenda. Et ualde, ac diligenter rogatum. ? Haec duplicatio necessaria est. non enim satis est, quid, sed quomodo. Nam facit eos populus, a quibus maxime est ambitus. ut orat. pro Cn. Plancio. BENIGNITAS autem late patet. ? Id est, liberalitas ad multos extenditur, & multis modis exerceri potest. Cic. lib. 2. off. Benignitas, quae constat ex opera, latius patet. Et est in re familiari. ? Illud, Et, in principio primi membri non placet, cum praesertim non uideam in secundo membro alterum, Et, cum quo connectatur. libri scripti habent Etiam. Puto legendum, Ea. Cic. 2. offic. Duplex liberalitatis ratio. Nam aut opera benigne fit indigentibus, aut pecunia. & Terent. Phorm. act. 5. sc. 3. Paritor nunc opera me adiuues, ac dudum re opitulata es. **QVAE QUAMQUAM AD MULTITUDINEM.** ? Largitio, quae fit ex re familiari, fontem ipsum benignitatis exhaurit; qua, quo in plures usus sis, eo minus in multos uti possis. Cic. offic. lib. 1. **TAMEN AB AMICIS.** ? Idem Cic. Largiendum est nonnumquam, nec omnino hoc liberalitatis genus repudiandum, sed diligenter, atque moderate. Quamquam autem largitio, quae corrumpendi populi gratia fiebat, legibus prohibebatur, erat tamen aliqua concessa largitio. Quare Romae habebant singulae tribus, legitimos diuisores, cum aliquid in populum distribuendum erat. Cic. in 2. Verr. Diuisores omnium tribuum nominat. Qui primus Romae populo, aut iudici pecuniam largitus sit, ignoratur. Plutarch. in Coriolano. **EST IN CONIUIJS.** ? Licuisse candidatis, petitionis suae causae, conuiuia populo facere, ex hoc loco apparet. Sed mox referente Cicerone consule S. C. factum est, in quo erat, contra legem Calpurniam, quae de ambitu erat, factum uideri, si prandia uulgo esset data, ut in orat. pro Mure. **QVAE FACERE, ABS TE.** ? locus corruptus. Libri scripti, Quae facere oportet. Lambinus, Quae facito & abs te. Sed malim, Quae fac & abs te, & ab amicis. **ET AMICIS TUIS.** ? Tuo nomine, ut in eadem orat. pro Mur. **CONCELEBRETUR.** ? Frequenter. Lucret. lib. 1. Quae mare nau. quae terras frug. **Concelebras.** & M. Cic. pro Mur. Si domus celebratur. **PASSIM.** ? Vulgo, apud uniuersos, in eadem orat. **TRIBVTIM.** ? Tribulibus tuis, in eadem orat.

QVINCTVS

EST etiam in opera, quam peruulga, & communica; cura, ut aditus ad te diurni, atque nocturni pateant, neque foribus solum aedium tuarum, sed etiam uultu, & fronte, quae est animi ianua. Quae si significant uoluntatem abditam esse, ac retrusam, parui refert patere hostium. Homines enim non modo promitti sibi, praesertim, quae a candidato pe- tant, sed etiam large, ac honorifice promitti uolunt. Quare hoc quidem facile praeceptum est. Vt, quod acturus sis, id significes te studiose, ac libenter esse facturum; illud difficilium, & magis ad tempus, quam ad naturam accommodatum tuam; quod facere non possit, ut id incunde neges. Quorum alterum est boni uiri, alterum boni petitoris.

EXPLANATIO

EST etiam. ? De tertia parte benignitatis, quae opera fit, quam iubet cum omnibus liberalissime communicare. Ea condicione, ut, quod facturus sit, libenter faciat; quod facere nequeat, incunde neget. **CURA, ut aditus ad te diurni, atque nocturni pateant.** ? Hoc est, quod se fecisse dicit. M. Tull. in orat. pro Plancio: Neminem a congressu meo, neque ianitor meus, neque somnus absterruit. & in ep. 2. lib. 6. ad Att. Aditus ad me minime prouinciales, nihil per cubicularium. Ante lucem inambulabam domi; ut olim, candidatus. Grata haec, & magna, mihiq. nondum laboriosa, ex illa uetere militiae. **SED etiam multa, & fronte.** ? Vt per fores introspicimus, & cognoscimus, quid in aedibus fiat, sic per uultum & frontem animum cernimus. Ideo suauiter metaphora dixit Frontem animi esse ianuam. M. Cic. lib. 3. de orat. & in orat. Imago animi uultus, indices oculi. **UOLUNTATEM abditam esse, ac retrusam.** ? Vt nulla appareat agendi uoluntas, etiam si secus loquantur. Solent autem nonnulli fronte, ac uultu simulationem facillime sustinere. Alij, cum aliud sentiant, & loquantur, non tamen tantum ualent ingenio, ut non appareat, quid cupiant. Quod de Pompeio scripsit Coelius ep. 1. lib. 8. Fam. **ABDITAM ac retrusam.** ? Coniungit haec duo Cic. & in Verr. & lib. 1. de orat. **PARUI refert patere ostium.** ? Vt facile admittantur. Nam, ut dicit Seneca libro sexto de beneficijs, In pectore amicus, non in atrio quaeritur. Isocrates ad Demonicum, Μὴδὲ τὰς χάριτας ἀχαρίστως χάριζομενος, ὅπερ πάσασιν εἰ πολλοὶ ποιοῦντες μὲν ἀνδρῶν δὲ τοῖς φίλοις ὑπουργοῦντες. Id est, Neque beneficium ingratis conferens. Quod accidit multis, qui faciunt quidem, sed iniucunde amicis inferunt. **HOMINES enim.** ? Seneca ep. 81. Non quantum sit, sed a quali uoluntate profectum perpenditur. & lib. primo. de Benef. Non quid fiat, aut quid detur refert, sed qua mente. quia beneficium, non in eo, quod fit, aut datur, consistit, sed in ipso dantis, aut facientis animo. Ideo apud eundem: Gratiae ridentes pinguntur, quia promerentium uultus hilares esse debent. & lib. 2. Beneficium a sperere datum, panis lapidosus uocatur. **PRAESERTIM quae a candidato.** ? Qui, quod eget aliorum opera, omnia agere debent, ut sibi omnium deuinciat uoluntates. **LARGE, ac honorifice promitti.** ? Vt honos etiam habitus uideatur ijs, quibus promissum est. Scripti libri habent Atque honorifice. quod quamquam leue uideatur, tamen sciendum, obseruatum esse apud M. Ciceronem, raro, ne dicam numquam, post coniunctionem, Ac, sequi uerbum a uocali, sed fere a consonante incipiens. **QVAE hoc quidem facile praeceptum est.** ? Quod obseruare facile possit. **STUDIOSE, ac libenter esse facturum.** ? Cic. ep. prima lib. 13. Prius uelut tibi persuadeas, ut hoc mea causa libenter facias, quam ut facias. **ILLYD difficilium.** ? Quia contra naturam tuam. **AD rem-**
pus. ?

pus. § Petitionis tuae, cui inferuendum est, & faciendum etiam id, quod a natura non habes, ut supra iam dixit. *ACCOMMODATVM.* § Aptum, conueniens. sic ep. 67. lib. 13. Ad meae vitae rationem accommodatum. *VT id iucunde neges.* § Ea prudentia, & iucunditate, ut negando etiam gratus uideare. Huc respicit Publij sententia: Pars beneficij est, quod petitur, bene si neges. Hoc loco membrum deesse suspicari alii qui sunt, & legerunt ex ingenio, Aut iucunde promittas, aut ingenue neges, quia sequitur, Quorum alterum est boni uiri, alterum boni petitoris, ut suo cuique membro, alterum respondeat. Ego nullius coniecturam damno; sed tamen consensum scriptorum librorum non temere reiiciendum puto. Cum praesertim illa duo, Alterum, & Alteram habeat, quo referantur, nullo nouo addito membro. Nempe ad duo praecepta, paullo ante posita. Alterum est boni uiri, quod acturus sis, id significes te studiose, ac libenter esse facturam. Alterum boni petitoris, id est, candidati, quod facere non possis, ut iucunde neges.

QVINCTVS

NAM, cum id petitur, quod honeste, aut sine detrimento nostro promittere non possumus, quomodo si quis roget, ut contra amicum aliquam causam recipiamus, belle negandum est, ut ostendas necessitudinem, demonstrates quam moleste feras; alijs te id rebus exsarturum esse persuadeas. *Audini hoc dicere quendam de quibusdam oratoribus, ad quos causam suam detulisset, gratiorem sibi fuisse orationem eius, qui negasset, quam illius, qui recepisset. sic homines fronte, & oratione magis, quam ipso beneficio, req. capiuntur.*

EXPLANATIO

NAM, cum. § Ratio, cur iucunde negandum, ut conserues amicum, & quomodo id sit faciendum, docet. *QUOMODO si quis roget.* § Exempli gratia, quod autem hic in exemplum proponit, pulchre usi uenit Ciceroni, ut apparet in epist. 1. ad Att. sed parum profuit seruasse fratris praecepta, si quidem res fuit cum Caecilio homine acerbissimo, & natura difficillima, qui illi grauius iratus est, quod eius causam non recepit. *DEMONSTRES quam moleste feras.* § Non posse id facere, quod ille petat. *ALIJS te id rebus exsarturum.* § Et si libri scripti habent Exsarturum, placet tamen Exsarturum, id est compensaturum, ut illud epist. 62. lib. 13. Sed idem sciam. Hoc ita faciendum esse, docuit ipse etiam M. Cicero lib. 2. off. ut iam a nobis relatum est. *AVDVI hoc dicere.* § Comprobata testimonio. *GRATIOREM fuisse orationem eius, qui negasset.* § Quoniam iucunde negasset. *QVAM illius, qui recepisset.* § Quia inuitus recepisse uideretur. *SIC homines.* § Clausula. In omnibus enim rebus uoluntatem spectare oportet, ut lib. 2. de Inuent. *CAPIVNTVR* § delectantur, ut ep. 15. lib. 9. Mirifice capior facetijs.

QVINCTVS

VERVM hoc probabile est. Illud alterum subdurum, tibi homine plane perito suadere. sed tamen tempori tuo consulam. Quibus enim te propter aliquod officium necessitudinis assuturum negaris, tamen ij possunt abs te placari, aequiq. discedere. Quibus autem iccirco negaris, quod te impeditum esse dixeris, aut amicorum negotijs, aut grauioribus causis, aut ante susceptis, inimici discedunt, omnesq. hoc animo sunt, ut sibi te mentiri malint, quam negare.

EXPLANATIO

VERVM hoc probabile. § Aliud praeceptum, ut promittat, etiam quod facere non possit, ne sibi, si neget quemquam inimicum faciat. *PROBABLE.* § Tibi probari facile potest, ut belle neges. *ILLVD alterum.* § Ut mentiaris. *SVDVRVM.* § Id est, difficile, quod conquire non possit. *HOMINI plane perito.* § Non uideo, quid obstat, cur homini perito non persuadeatur, ut aliquando commodi sui causa mentiatur, cum id saepe etiam sponte sua periti homines faciant. Quare suspicor de mendo, eoque magis, quod referunt non nulli, esse libros, qui habeant, Platonico. quod nequaquam satisfacit. si esset locus coniecturae, Plane aperto, legere auderem. Apertus enim, & simplex dicitur is, cui contrarius est, obscurus, astutus, fallax. ut M. Cic. lib. 3. off. Huic autem hominum generi difficillime persuaderi potest, ut mentiantur. *TEMPORI consulam tuo.* § Notum illud Tempori seruire, Sapientes esse. & Cic. ipse ep. 1. ad Att. Aequum esse eum, & officio meo consulere, & tempori. *QVI BVSVS enim te.* § Hoc dicit, non temere est omnibus, & quauis de causa negandum. Nam alij aequo animo ferent, alij inimici fient. Ferent fortasse, aequo animo, qui te impeditum officio necessitudinis sentient. Ab alienabuntur, qui te aliorum amicorum negotia, & causas, etiam si grauioribus, & ante susceptas, suis praepone re uidebunt. *AEQVIQVE.* § Non irati. Terent. Andria ac. 2. sc. 5. *PROPTER aliquod officium necessitudinis.* § Ut contra amicum causam recipiamus, ut supra dixit. *AVT grauioribus causis.* § Exemplum habes in ep. 24. lib. 7. fam. Phameae causam susceperam, is ad me uenit, dixitq. iudicem sibi operam dare constituisse, eo ipso die, quo de P. Sextio in consilium iri necesse erat. Respondi, nullo modo

modo me facere posse, cum uellem; alium diem si sumpser, me ei non defuturum. Ille autem discessit a me, ut mihi uidebatur, irarior. *Sibi te mentiri maluit.* & Nolunt quidem te sibi mentiri, sed minus moleste ferunt, si mox praestare non possis, quod promiseris, quam si statim neges,

QVINCTVS

Cotta, in ambitione artifex, dicere solebat, se operam suam, quod non contra officium rogaretur, polliceri solere omnibus, impartire ijs, apud quos optime poni arbiraretur. ideoque se negare nemini, quod saepe accideret causa, cur is, qui pollicitus esset, uacuus foret, plusquam putaret, neque posse domum eius compleri, qui tantummodo reciperet, quantum uideret, se obire posse. Casu fieri, ut agantur ea, quae non putaris; illa, quae credideris in manibus esse, ut aliqua de causa non agantur. Deinde esse extremum, ut irascatur is, cui mendacium dixeris. Id si promittas, & incertum est, & in diem, & in paucioribus; sin autem id neges, statim abalienant se, & inimicantur. plures enim multo sunt, qui rogent, ut uti liceat opera alterius, quam qui utantur. quare satius est, ex ijs aliquos aliquando tibi in foro irasci, quam omnes continuo domi. Praesertim cum multo magis irascantur ijs, qui negent, quam ei, quem uideant ea causa impeditum, ut facere, quod promisit, cupiat, si ullo modo possit.

EXPLANATIO

Cotta. Auctoritate Cottae oratoris probat, satius esse polliceri, ac mentiri, quam statim negare, facta comparatione commodi, atque incommodi, quod ex eo consequi potest. Qui negat, omnes, certe, statim abalienat. Qui promittit, aliquos tantum, & non semper, ac tum demum, cum praestare oportet promissa, neque licet. Quod nec semper utantur opera nostra omnes, qui petierint: & qui se uisuros sperant, beneuoli nobis sint, usque ad utendi tempus, & ignoscant facilius, si uideant, nos uelle sibi operam dare, nec posse. *C. Cotta.* Hic est C. Aurelius Cotta orator acutus, & subtilis, de quo mentio est & in libris de Oratore, & de claris oratoribus, & alijs in locis saepe apud M. Ciceronem, qui sine ullo munere, adeptum se esse omnia, quae haberentur amplissima, dicebat. ut lib. 2. off. *Artifex in ambitione.* Peritus in ijs, quae ad ambitionem pertinent. Sic alias Artifex comparandae uoluptatis, & Artifices ad corrumpendum iudicium. *Quod non contra suum officium.* Aliqui legunt Quoad, sed est interpretatio particulae, Quod, quae interdum pro quoad, uel quatenus ponitur. Terent. Heauton. ac. 1. sc. 1. Quod potero, adiutabo senem. Similis mutatio facta est in ep. 7. lib. 2. ad Att. Vbi impressi libri Quoad potes habent. scripti, Quod. *Quod non contra officium rogaretur.* Tunc enim negabat, in quo bonum uirum agnoscis, qui ita ambitiosus erat, ut contra officium nihil ageret. *Apud quos optime poni.* Qui possent gratiam referre. Et in hoc agnoscis astutum. Bene se ponere, supra. *Accideret causa.* Hoc uerbum Causa, uidetur aliquibus redundare: sed habetur in scriptis, & tale est, ut illud, Accidere tempus, ep. 10. lib. 3. fam. *Is qui pollicitus.* Cui habent scripti, & placet. Nam refertur ad illud, Cotta dicebat de se, saepe accidere, cur is, cui pollicitus esset operam suam, uacuus foret, ab illo nempe negotio, & molestia, pro qua ad patronum confugerat, plusquam putaret, se fore. Ideoque non uteretur patroni opera. Haec quidem sic exponi possunt. Corradus tamen in Quaestura refert, in non nullis libris sic legi, Quod saepe accideret causa, cur is, cui pollicitus esset, non uteretur: saepe ut ipse magis esset uacuus, quam putasset. Qua lectione nihil planius. & Vacuus tum refertur ad oratorem. Putasset etiam est in Aldi libro, non putaret. *Neque posse domum eius compleri.* Domum oratoris, multitudinem clientium, & amicorum, ut illud lib. 2. ep. 16. ad Att. Cum bene completa domus est tempore matutino &c. *Tantum modo reciperet.* Negotiorum, & causarum. *Obire posse.* Exsequi. Transigere. Sic Obire munus, negotia. *Quae non putaris.* Fieri posse, cum promittebas. *In manibus esse.* Propinqua, in promptu, quae facile fieri possent. Forma dicendi satis usitata apud scriptores Latinos. *Aliqua de causa non.* Quia multa inter os, & offam, ut Prouerb. fertur. *Deinde esse extremum.* Si nihil accideret ex ijs, quae dixisset, reliquum esse, ut irasceretur is, cui mendacium dictum esset. *Cui mendacium dixeris.* Hic uidet ueram non esse differentiam, quam inter Mentiri, & Mendacium dicere, statuisse Nigidium referant A. Gellius, & Non. Marcellus, ut Mentiri sit eius, qui fallere conatur, Mendacium dicere, eius, qui ipse, quantum in se est, non fallit, sed imprudens fallitur. Nam hoc loco mendacium dicere, est eius, qui prudens, ac sciens mentitur. *Id, si promittas.* Distingue post Id; & expone Id, ut irascantur scilicet. *Incertum est.* Quia non semper fit, ut irascantur, sed ignoscant, cum uideant te non facere posse, quod promiseris. *Et in diem.* In futurum tempus, uel in longam dilationem, ut exponit Donatus apud Teren. in Eunuc. act. 5. sc. 7. Quam significationem non nouit fortasse Laur. Valla, ubi de In diem, & In dies egit lib. 3. Elegant. numquam enim omisisset. *Et in paucioribus.* Quia non omnes irascuntur. *Sin autem id neges, statim &c.* Hic locus corrupte legitur in pluribus libris. Corradus in Quaestura correctum edidit. Tum & Lambinus. Sic autem legendum: Sin autem id neges. & certe abalienes, & statim, & plures. plures enim multo sunt, qui rogant &c. Vbi singula singulis optime respondent. Certe, ad illud, Incertum est. Statim, ad illud In diem, Plures ad illud In paucioribus. *Plures enim multo.* Ratio ex rerum humanarum mutabilitate, & hominum inconstantia, quibus saepe eadem placent, moxq. displicent. *Quare satius.* Conclusio per collectionem iam dictorum, cum eleganti contentione, Aliquos, Aliquando: In foro, Omnes: Continuo, Domi. *Magis irascantur ijs, qui*

Na negent.

negent. Quia uidentur nolle inferuire. *QVAM ijs, quem.* Vel caeco apparet legendum, *Ei.* Quam si quem uideant, repoluerat Mannuccius, coniectura fretus. *CVPIAT, si nullo modo possit.* Itaque accipitur pro re uoluntas. cum cupiat tantum facere, neque possit. sensus autem, qui uidetur imperfectus, supplendus est, extrinsecus assumptis, Sed nullo modo possit.

QVINCTVS

AC, *ne uidear aberrasse a distributione mea, qui haec in hac populari parte petitionis disputem: hoc sequor, haec omnia non tam ad amicorum studia, quam ad popularem famam pertinere. Et si inest aliquod dictum ex illo genere, benigne respondere, studiose inferuire negotijs amicorum, ac periculis; tamen hoc loco ea dico, quibus multitudinem capere possis. ut de nocte domus compleatur, ut multum spe tui praesidij teneantur, & amiciores abs te discedant, quam accesserint, ut quamplurimorum aures optimo sermone compleant.*

EXPLANATIO

AC, *ne uidear.* Corrigit se, quod, cum de populari ratione agat, ea dicat, quibus amici comparentur. Docet igitur haec ad utrumque pertinere. *A distributione mea.* antea facta, cum petitionem magistratum, in amicorum studia, in popularem uoluntatem distribuit. Egit, de amicitijs prius. Tum ad popularem rationem accessit. *ABERRASSE.* Translate: Sicut alias, Aberrare proposito, prima Tusculana. *Hoc sequor.* Non temere hoc facio, hoc spectro, hoc cogito. M. Cic. ep. 7. lib. 4. ad Att. Quid essent in decernendo secuti. & ep. 8. lib. 3. fam. Non idem uterque secutus sit. Translatum & hoc, quod respondet ad uerbum Aberrare. *HAEC omnia.* Benignitatem dicit, & cetera, de quibus haecenus. *ET SI ENIM INEST.* Occurrit obiectioni, uideri quidem hoc loco multa dici, quae ad amicos comparandos faciant, sed ea causa tantum dici, quod ijs etiam aura popularis captetur. Atque hic placet interponi coniunctionem, Enim, cuius uestigia in scripro sunt, & aliqui iam admiserunt. *EX ILLO GENERE.* Superiore. Vbi de amicorum studijs agitur, quae beneficijs, officijs, uetustate, facilitate, iucunditate naturae comparanda sunt. Quae eadem fere sunt cum his, benigne respondere, studiose inferuire negotijs amicorum. *MULTITUDINEM CAPERE.* Allicere ad beneuolentiam. *UT DE NOCTE DOMUS COMPLEATUR.* Hominum frequentia. infra, Domus ut multa nocte compleatur. *SPE TUI PRAESIDIJ.* De hac spe etiam supra. *UT AMICIORES ABS TE DISCEDANT.* Capti tua benignitate. Et est sententia facta, ad imitationem illius Terentianae, in Eunuchio: Numquam accedo, quin abs te abeam doctior. licet diuersa in re; & in Terentiana nescio quid argutiae lateat. *UT QUAMPLURIMORUM AURES.* Dum de te idem apud alios loquantur. Complete aures sermone, elegans locutio, sic 3. orat. in Rullum. Completi sunt animi, auresque uestrae Quirites. & de somn. Scipionis. Quis est, qui complet aures meas, tantus, & tam dulcis sonus?

QVINCTVS

SEQVITVR enim, *ut de rumore dicendum sit, cui maxime seruiendum est. Sed, quae dicta sunt omni superiori oratione, eadem ad celebrandum rumorem ualent. Dicendi laus, studia publicanorum, & equestris ordinis, hominum nobilium uoluntas, adolescentulorum frequentia, eorum, qui abs te defensi sunt, assiduitas, ex municipijs multitudo eorum, quos tua causa uenisse appareat: Bene homines nosse, comiter appellare, assidue, ac diligenter petere, benignum, ac liberalem esse, bene loqui existimare. Domus ut multa nocte compleatur, omnium generum frequentia adsit, satisfiat oratione omnibus; re, operaque multis. perficiatur, id quod fieri potest, labore, & arte, & diligentia, non ut ad populum ab ijs omnibus fama perueniat, sed ut in ijs studijs populus ipse uersetur.*

EXPLANATIO

SEQVITVR. Redit ad ea, quae proposita fuerant ad popularem rationem pertinentia, ac de rumore agit, cui inferuendum esse dicit. ualere autem ad bonam famam ea omnia, quae haecenus dicta sunt ad ipsam petitionem in uniuersum facientia; quorum breuem anacephalaeosum facit. Tum perficiendum, ut his ipsis rebus populus etiam delectetur. *SEQVITVR ENIM.* Aut delendum est Enim, aut pro Enim, Nunc, legendum. Sequitur autem, idem ualeat, quod Restat, aut, quod dicit M. Cicero, Consequens est. *CVI MAXIME SERUIENDUM.* Curandum, ut homines de nobis bene existiment, ac loquantur. Tale est, ut illud pro P. Sextio: Posteritati, ac gloriae seruire. *AD CELEBRANDUM RUMOREM.* Ad diuulgandum, ut ipse Marcus ep. 1. ad Q. Fratrem: Constanti fama, atque omnium sermone celebratum est. *DICENDI LAUS.* Prima illa quatuor ad nominis nouitatem leuandam pertinent. *EORVM, qui abs te defensi sunt, assiduitas, ex municipijs multi-*

multitudo. ? Haec duo continent omnia illa, quae in amicorum studijs posita sunt, quorum alij in urbe, alij extra urbem erant. ex omnibus autem amicis eos praecipue nominat, qui ab eo defensi sint, quoniam, ut dictum est, eo amicitiarum genere eius petitio maxime nitebatur. *BENE HOMINES NOSSE.* ? Iam haec, quae sequuntur, ad ea pertinent, quibus ratio popularis continetur, quae omnia pluribus sunt tractata. *BENE LOQUI EXISTIMARE.* ? In uerbo, Existimare, mendum est. Corradus seiungebat, Bene loqui, tum legebat, Aestimare, pro spectare, sed non placet. Lambinus in initio horum membrorum interposita coniunctione, *Ut, Bene ut homines nosse*, mutat, nonnullis casibus, prout sibi commodum fuerat, demum, Existimare, correxerat. Quam nimiam esse licentiam, non dubito, quin omnes sint existimaturi. ego unius litterae mutatione, Existimari, lego, ut dicat, ualere ad celebrandum rumorem, si existimetur bene loqui. & referat illud, quod dixit antea, *Oratione homines capi.* *DOMVS UT MULTA NOSSE COMPLEATUR.* ? Mira uarietas. Primum per nomina, laus, studia, &c. Tum per uerba infinita, nosse, appellare, petere. Demum per coniuuctiua, ut compleatur, adit, satis fiat. *SATISFIAT ORATIONE OMNIBUS.* ? Ex Cortae praecepto, & Ouidij etiam lib. 1. de arte: Promittas facito, quid enim promittere laedit? Pollicitis diues quilibet esse potest. *RE, OPERAQ. MULTIS.* ? quia facta uerbis difficiliora. *M. Cicero ad Q. Fratrem ep. 6. lib. 1. PROFICIATUR ID QUOD.* ? Omnino legendum Perficiatur. Id quod fieri potest. Phrasis usitata. Valet, prout fieri potest. Sicut ep. 25. lib. 10. fam. Si interest, id quod homines arbitrantur. & 14. lib. 7. Id quod erat aequius. *NON UT AB IJS OMNIBUS.* ? Neque enim ab omnibus ijs oritur fama, sed ex alijs oritur, orta uero ab alijs alitur, & celebratur. oritur a laude dicendi, a uoluntate nobilium, & similibus. alitur comitate, & liberalitate; celebratur assiduitate, & frequentia hominum: ergo curandum, ut in ijs, quibus fama frequentatur, populus uerferetur.

QVINCTVS

IAM urbanam illam multitudinem, & eorum studia, qui conciones tenent, quae adeptus es in Pompeio ornando, in Manili causa recipienda, Cornelio defendendo, excitanda nobis sunt. quae adhuc habuit nemo, quin idem splendorem omnium, uoluntates q. haberet. Efficiendum etiam illud est, ut sciant omnes, Cn. Pompeij summam erga te esse uoluntatem,

& uehementer ad illius rationes, te id assequi, quod petis, pertinere. Postremo tota petitio cura, ut pompae plena sit, ut illustris, ut splendida, ut popularis, ut habeat summam speciem, ac dignitatem, ut etiam si quid possit, ne competitoribus tuis exsistat aut sceleris, aut libidinis, aut largitionis accommodata ad eorum mores infamia.

EXPLANATIO

IAM urbanam. ? Ne pars ulla populi in epilogo praetermissa uideatur, Plebis etiam urbanae mentionem facit, eiusq. studia & excitanda esse, & quomodo id fiat, docet. Ad extremum curandum, ut in petitione illius summa dignitas, in competitoribus infamia aliqua appareat. *QVI conciones tenent.* ? Qui in concionibus semper adiuunt. Hos Concionarium populum uocat ep. 4. lib. 2. ad Q. Fratrem, & Concionalem hirundinem aerarij, ep. 14. lib. 1. Att. *IN Pompeio ornando.* ? Quod fecit in orat. pro lege Manilia. ut dicit ipsemet Marcus in oratore. *MANILII causa recipienda.* ? Manilius ille est, qui legem de bello aduersus Mithridatem Pompeio mandando tulerat, ob eamq. rem, & erat plebi gratus, & senatui inuisus, accusatus itaque est, & a Cicerone eius defensio suscepta. de quo uide Plutarchum in uita Ciceronis, & Dionem lib. 3. 6. & in prima Corneliana. Apud Nonium, in uerbo, Profitetur. Mentio est orationis pro Manlio. Vbi legendum puto, pro Manilio, & de hac causa intelligi. *CORNELIO defendendo.* ? Qui accusatus fuerat de maiestate, propter ea, quae gesserunt in tribunatu. De quibus Dio lib. 3. 6. & Asconius in argumento orationum pro ipso Cornelio. *EXCITANDA nobis sunt.* ? Hic soloecismum agnoscit Corradus. Multitudinem, & studia excitanda sunt. quare Multitudo urbana, legendum censet. Quid, si sermo sit figuratus? ut illud Virgilij: Urbem quam statuo uestra est. & illud Plauti: Naucratem, quem conuenire uolui, in naui non erat. & Terentij: Eunuchum quem dedisti nobis, quas turbas dedit? & quod profertur ex ep. 3. lib. 6. ad Att. ut est etiam in meo scripto: Scaptius, qui fuit in Cappadocia, puto esse satisfactum. Sic & hoc loco. Multitudinem, & studia, quae adeptus es: quamuis mollior esset oratio, in uerbo ordine: *Quae adeptus es in Pompeio ornando multitudinem urbanam, & studia, excitanda sunt.* *QUAE adhuc nemo habuit.* ? Ergo tanto magis pro ijs laborandum. *SPLENDOREM omnium, uoluntatesq. haberet.* ? Quali hos ceteri sequerentur, quod mirandum non est: sunt enim (ut inquit M. Tullius pro Murena) comitia populi, ac multitudinis. *POMPEII summam erga te esse uoluntatem.* ? Cum enim esset Pompeius populo gratissimus, populus ei fauere uisus, in quem Pompeij uoluntatem propendere cognouisset. *Et uehementer ad illius rationes.* ? Nam, cum eo tempore Pompeius bellum cum Mithridate gereret, fieri posse uidebat, ut eius res gestae, lausq. & honor earum in M. Cic. consulatum incidere, id quod factum est, Nam confecto bello Mithridatico, repente consule Cicerone, decem dierum supplicatio Pompeio directa est. *M. Cic. de prouincijs consularibus.* *POSTREMO tota petitio.* ? Haec ad illam partem pertinent. ubi de affectatione egit, ubi cum quotidiana, cuiuscumque generis frequentia uti iussit, quod ea magnam opinionem, magnam laudem petitioni afferret. *POPULARIS sit.* ? Splendorem, & plausum populari habeat, & populo grata uideatur, *UT etiam si quid possit, ne competitoribus.* ? Ne illud quidem in epilogo praetermittendum duxit, quod de competitorum uitij dictum fuerat, quibus illum plurimum adiuuari posse existimabat. *ET IAM si quid possit ne.* ? Locus corruptus, quod ab alijs aliter corrigitur, ego sic putabam: ut



etiam si qua possit, in competitoribus tuis existat infamia, mutato Quid in Qua. & ex Ne, factio In. Nam negatiua nulla hic requiritur. *AVT sceleris.* § Vt in Catilina. *AVT libidinis.* § Vt in Antonio. *AVT largitionis.* § Vt in reliquis. *ACCOMMODATA ad eorum mores.* § Nam, ut inquit Tullius, orat. pro Sex. Roscio. Vt non omnem frugem, neque arborem in omni agro reperire possis, sic non omne facinus in omni uita nascitur. *Alia igitur aliis infamia pro eorum moribus accommodatior.*

QVINCTVS

ATQVE etiam in hac petitione maxime uidentur, ut spes reip. bona de te sit, & honesta opinio. *NEC tamen in petendo, resp. capeffenda est. neque in senatu, neque in concione. Sed haec sunt tibi retinenda, ut senatus te existimet, ex eo, quod ita uixeris, defensorem auctoritatis suae fore. Equites Romani boni, & locupletes, ex uita acta, te studiosum otij, ac rerum tranquillarum: multitudo ex eo dumtaxat, quod oratione in concionibus, ac iudicio popularis fuisti, te a suis commodis alienum non futurum.*

EXPLANATIO

ATQVE etiam in hac petitione. § Nunc tandem de sexto illo membro agit, quod ultimo loco positum fuerat. ut bona de illo spes sit in rep. Quod alij in Speciem, non satis apte mutauerant. Atque in hoc itidem, ut in aliis, monet, quae cauenda, quae facienda sint. *SPES reip. bona de te sit.* § Vt bene de te speret. *HONESTA opinio.* § Vt nihil non honestum, & rectum te facturum homines existiment. sic lib. primo Rher. Si de his quam honesta sit existimatio ostendetur. Hoc autem tantam uim habet, ut, si fiteat ambitus, id est nulla sit inter competitors contentio, quaeri tantum soleat, quid optimi uiri de candidatis sentiant, ut scribit M. Tullius lib. 3. de legibus. *NEC tamen in petendo resp. capeffenda est.* § Tempore petitionis, ne quemquam forte offendas, qui tibi postea aduersetur. Hoc se fecisse scribit alias, cum periculum a Clodio impenderet ep. 2. 2. lib. 2. ad Att. Rempub. nulla ex parte attingimus. & 23. Nos publicis consiliis nullis interfumus. & ep. 8. lib. 2. ad Q. Fratrem: Ego melibenter a curia, & ab omni parte reip. subtrahio. Et cum accusaturus esset Verrem, & aedilitatem peteret. Agere, inquit, quae ad iudicium pertinebant libere comitorum metu deterrebar. 2. Verr. *NEQVE in concione.* § Ad populum. immo multi a republ. prorsus recesserunt, alij inuidiam, alij laborem uitantes. Pythagoricum illud obseruantes, A fabis abstinet. quos damnat M. Cicero primo off. *Ex eo quod ita uixeris.* § Ex ante acta uita, in qua te bonarum partium esse ostendisti, quod in initio statim sui consulatus se facturum pollicitus est, cum pacem, tranquillitatem, otium se afferre pronunciauit. orat. 2. contra Rullum. *TE studiosum otij, ac rerum tranquillarum.* § Hoc est enim, quod maxime exoptant uiri locupletes, ut suis rebus in otio fruantur: Contra uero, quibus opes nullae sunt, odio suarum rerum mutari omnia student, turba, atque seditionibus sine cura aluntur. Quoniam egestas facile habetur sine damno. Sall. in Catil. *MULTITUDO ex eo.* § Tertius ordo Ciuum, quibus praecipue probantur ii, qui de plebis commodis cogitant. Sed, quoniam huiusmodi homines fere apud bonos male audiebant, quod ut plurimum seditiosi essent, & legum perniciosarum auctores, ideo oratione dumtaxat popularem fuisse illum dixit, cum de republ. cum optimatibus senserit, ut dictum est. *TE a suis commodis alienum non futurum.* § *ΑΙΤΙΩΝΕ.* minus dicit quam significat. ut illud, A nostris studiis non abhorret. ep. 2. 2. lib. 13. Pro Sex. Roscio Am. Vt ne a litteris quidem alienus esses, atque in eo uarietati inseruiuit, prius enim dixit. Defensorem auctoritatis foro. Tum studiorum otij. Mox non alienum a suis commodis. Sciendum autem ob eam spem praecipue, quae de Ciceronis uirtute erat in rep. eum ad consulatum, & a patribus, & a plebe sublatum, cum de Catilina, eiusq. consilij, graues rumores dissipati essent, ut apud Plutarch. legitur.

QVINCTVS

HAEC mihi ueniebant in mentem de duabus illis commotionibus matutinis, quo tibi quotidie ad forum descendenti meditando esse dixeramus. *Novus sum, consulatum peto. Tertium restat, Roma est. Ciuitas ex nationum conuentu constituta, in qua multae insidiae, multa fallacia, multa in omni genere uitia uersantur. Multorum arrogantia, multorum contumacia: multorum maleuolentia: multorum superbia; multorum odia, ac molestia perferenda est. Video esse magni consilij, atque artis, in tot hominum, cuiusque modi uitij, tantiq. uersantem, uitare offensionem, uitare fabulam, uitare insidias. esse unum hominem accommodatum, ad tantam morum, ac sermonum, ac uoluntatum uarietatem. Quare etiam atque etiam perge tenere istam uiam quam instituisti. excelle dicendo. hoc & tenentur Romae homines, & alliciuntur, & ab impediendo, ac laedendo repelluntur.*

EXPLANATIO

HAEC mihi ueniebant in mentem. § Breui epilogus partium praecipuarum totius operis. ex quibus tractatis duabus. Tertiam aggreditur de loco, in quo petit. enumeratis itaque incolentium uitij, summa

ma opus esse prudentia dicit, ut ita caueantur, ne noceant. unum autem eum habere praesidium, quo hominum alios alliciat, alios a laedendo repellat, dicendi artificium, quod eum diligenter retinere uult. *DE duabus illis commotionibus matutinis.* Commotionibus, habent libri nostri, & scripti, & impressi; Corradus in alijs legi dicit Commotionibus. quae lectio melior uidetur, sed omnium fortasse optima erit, Commentationibus, id est cogitationibus, uel meditationibus. Consentit enim cum illis uerbis. Ciuitas quae sit cogita, & ad forum tibi descendenti meditata sit. uult enim ipsum Ciceronem haec commentari, atque animo agitare. *QVO tibi.* Quatenus. quod attinet ad illud, Quod dixeramus. *CIVITAS ex nationum conuentu constituta.* Aliter in alijs ciuitatibus agendum: ubi habitatores indigenae potius sint, quam aduenae, & uniusmodi fere moribus utantur. at Romae aliter, quae ex diuersorum hominum conuentu constat. Nam & ab initio condita ab ijs, qui cum Romulo fuerunt ciues Albani, & eorum locorum pastores: Tum uero paulatim aucta, confluenta in Asylum multitudine perditorum hominum. demum incrementa accepit ingentia, acceptis in ciuitatem Sabinis, Tusculanis, Aequis, Hernicis, Volscis, & ceteris, qui eo migrare uoluerunt. Nam, ut dicit in orat. pro Cornelio Balbo, Numquam est intermissa a Romanis largitio, & communicatio ciuitatis. *MULTA in omni genere uitia uersantur.* Prout necesse est, ubi ex diuersis locis homines in unum conueniunt. De turba porro Romana pulchre Seneca lib. de Consol. ad Alb. cap. 6. Maxima pars illius turbae patria caret. ex municipijs, & colonijs suis, ex toto denique orbe terrarum confluerunt. alios abducit ambitio, alios necessitas officij publici, alios imposita legatio, alios luxuria, opulentum, & opportunum uitij locum quaerens, alios liberalium studiorum cupiditas, alios spectacula, quosdam traxit amicitia, quosdam industria, latam ostendenda uirtuti nacta materiam: quidam uenalem formam attulerunt. quidam uenalem eloquentiam. Nullum non hominum genus concurrat in urbem, & uirtutibus, & uitij magna pretia ponentem. Haec Seneca. prudenter itaque fecisse putantur Spartani, qui & ciuibus suis, ne peregrinarentur, interdixerunt, ne mores peregrinos addicerent; & peregrinos ipsos urbe arcuerunt, ne mali aliquid ciues edocerent, ut Plutarchus in Laconicis institutis. *MULTAE insidiae.* Hae occulte laedunt. *MULTORVM arrogantia.* Haec uero palam. *MAGNI consilij, atque artis.* Differunt haec, nam consilio utitur, qui honestis rationibus, arte uero, qui etiam dolo agit. M. Cicero ep. 16. lib. 9. Non satis est consilio pugnare, artificium quoddam excogitandum est. & Diuinat. in Verrem. Numquam ille me opprimeret consilio, numquam ullo artificio peruerteret. *VIUSQUE modi uitij.* Cuiusque modi, Cuius uis generis, sic 6. in Verrem. Tot homines cuiusque modi, apud Sallust. Et Cuiusque modi, & Cuiuscumque modi. idem est. *VITARE offensionem.* Ne quemquam offendas, effugere offensionem, dicit ep. 4. lib. 4. fam. *VITARE fabulam.* Ne fias uulgi fabula. Horat. Od. 11. Per urbem fabula quanta fui? Ouid lib. 4. eleg. 10. de Tristibus. Nomine sub nostro fabula nulla fuit. *ESSE unum hominem accommodatum ad tantam.* Qui hoc praestare potest, Polyphi mentem obtinere prouerbio dicitur. Qualis fuit Vlysses, qui ob id πολύτροπος uocatur. Demosthenes dixit, Rem omnium difficillimam esse, multis placere. Qui sapit, innumeris moribus aptus erit. Ouid lib. 1. de arte. *PERGE tenere istam uiam.* M. Tullius in orat. pro Cn. Plancio. Ut te ad cursum istum tenendum, quem a prima aetate suscepisti, cohortentur. In 2. de legibus. Istam rationem, quam coepisti, tene. *EXCELLE dicendo.* Haec est uia, quam tenere illum iubet. & bene coniungit extrema cum primis. dixit enim in initio: Quoniam ab hac laude proficisceris, & quidquid es, ex hoc es, paratus ad dicendum uenito. *TENENTVR homines.* Aut delectantur, ut illud, Iisdem studijs tenentur, ep. 3. lib. 7. fam. Aut Tenentur, pro retinentur. ut hoc ad illos referatur, qui sunt amici. Alliciantur, ad eos, qui nondum sunt amici, repelluntur ad inimicos.

QVINCTVS

ET, quonia in hoc uel maxime uitiosa est ciuitas, quod largitione interposita, uirtutis, ac dignitatis obliuisci solet, in hoc fac, ut te bene noris, id est, ut intelligas, eum esse te, qui iudicij, ac periculi metum maximum competitoribus afferre possis. Fac itaque, ut se abs te custodiri, atque obseruari sciant; cu diligentiā tuam, tum auctoritatem, uimq. dicendum profecto equestris ordinis erga te studium pertimescent. atque haec ita te uolo illis proponere, ut uideare occasionem non meditari, sed de hoc terrore facilius, hoc ipsum, quod agis, consequare. Et plane sic contende omnibus neruis, ac facultatibus, ut adipiscamur, quod petimus. Video esse nulla comitia tam inquinata largitione, quibus non gratis aliquae centuriae renuncient suos maxime necessarios.

EXPLANATIO

ET, quoniam in hoc. Romanae ciuitatis uitia generatim complexus est, nunc de illo uno, quo maxime erat corrupta, id est largitione loquitur. Proposita ratione, qua ei sit occurrendum. Nempe iniecto terrore accusationis, aduersus eos, qui ea usi fuerint. *IN hoc uel maxime uitiosa.* Itaque illud uulgo iactabatur, Romae uenalia esse omnia, apud Sallust. & Iuuenal. sat. 3. Omnia Romae Cum pretio. *VIRTUTIS, ac dignitatis obliuisci.* Homines, in quibus uirtus sit, ideoq. dignos praeterire, & despiciere solet, honores autem illis dare, a quibus plurimum accepit. Ut cum Vatinius praetorem fecit, Catone neglecto. Haec autem fuit praecipua Romanae reip. pernicijs. ex quo dictum est, illum primum Romanum populum perdidisse, qui primus ei epulum, largitionemq. dedisset. Plutarch. in Coriolano. *Fac, ut te bene noris.* Respicit ad celebre dictum. Nosce te ipsum, quod non ad arrogantiam minuendam solum dictum est, uerum etiam ut

bona

bona nostra norimus, ut dicit M. Tullius ad Q. Fratrem lib. 3. ep. Et Graecus uersiculus, Τὸ γὰρ οὐδὲ παρὰ ταχὺ οὐκ ἐπισημαίον, in omnes partes hoc ualere docet. **IDESD ut intelligas.** 3 Interpretatio, qua uitur saepe M. Cicero, uerbo, aut sententia ambigua prius posita, ut ep. 1. 9. lib. 5. & ep. 1. & 8. lib. 9. fam. Hoc igitur dicit; Cognosco te ualere eloquentia, & qui facile possis in iudicium trahere, ac damnate competitorum tuos, si largitione uisi fuerint. Quare iniice illis hunc timorem. **METVM maximum.** 3 Mannucci liber scriptus, Maxime habet. hoc sensu, posse cum aliis etiam, sed competitoribus maxime metum afferre. **FAC itaque, ut se abs te custodiri.** 3 Sic enim cauebunt, ne committant, ut accusari possint. **CVM diligentiam tuam.** 3 In obseruando. **TVM auctoritatem, uimq. dicendi.** 3 In accusando. **TVM profecto equestri ordinis erga te studium.** 3 In iudicando. Nam tres eo tempore ordines iudicabant. Senatores. Equites. Tribuni aerarij. Alconius. **ERGA te studium.** 3 De quo supra, in principio. **ATQVE haec ita te uolo.** 3 De modo, quo agendum sit. nam summa prudentia opus est. **VT uideare occasionem non meditari.** 3 Placet quod in nonnullis legitur: Non ut uideare accusationem meditari. nam sic loquitur in orat. pro Murena: Simulatq. candidatus accusationem meditari uisus est, honorem uidetur desperasse. quibus uerbis locus hic pulchre & emendatur, & declaratur, subdita causa, cur meditari accusationem eo tempore non debeat. de qua iterum in eadem oratione: Non placet mihi inquisitio candidati, praenuncia repulsae. pro meditari accusationem, cogitare etiam dicit in eadem. Hoc ipsum quod agis consequare. 3 Ut eos tantum a largitione absterreas. Et plane. 3 Extremum praeceptum, idque maxime generale. Plane autem non aperte significat, sed prorsus, quantum potest. ut in libro de claris orator. Perfecite, planeq. eruditus. **CONTENDE omnibus neruis, ac facultatibus.** 3 Omnibus uerbis enitere. Translatio, qua supra etiam usus est, cum dixit: Homines qui sine neruis sint. **Ac facultatibus.** 3 Hoc uerbo proprio declarauit translatum. in ep. fam. lib. x. Cur non omnibus facultatibus, quas habemus, utamur? **VIDEO esse nulla comitia.** 3 Plurimum quidem ualet in comitijs largitio, sed uideo tamen aliquas semper esse centurias, quae se integras seruent, & suis amicis, sine ulla spe largitionis, sponte suffragentur. **COMITIA inquinata largitione.** 3 Corrupta. Largitio enim in malam partem capitur, ut liberalitas in bonam. lib. 2. de oratore. **GRATIS.** 3 Sine mercede. Vnde comitia, & suffragia gratuita, quae sine ulla mercede habentur. **RENUNCIENT.** 3 faciant, declarent. Renunciare. uerbum est comitorum; proprium eius, qui comitia habet, & qui, antequam populum dimittat, qui nam creati sint, pronunciat. M. Tull. pro Murena: Comitijs centuriatis consulem renunciatui. & pro domo sua: A L. Pifone consule praetorem renunciari. Praeco etiam renunciare dicebatur, cum toties creatum aliquem proclamabat, quoties singularum centuriarum suffragia erant numerata. M. Tull. ult. Verr. Tu cum es praetor renunciatus, non ipsa praeconis uoce excitatus es, qui te toties seniorum, iuniorumq. centurijs illo honore affici pronunciauit. Dicebatur demum populus renunciare aliquem, cui suis suffragijs magistratum mandasset. ut hoc loco. & 2. Philip. de comitijs Dolabellae: Prima classis uocatur: renunciatur. **Suos maxime necessarios.** 3 In scriptis, Suos sibi maxime necessarios, habetur, quod non est in excusis. de quo monendum lectorem duxi. Si quidem non ineleganter dictum uideri possit.

QVINCTVS

QVARE, si aduigilamus pro rei dignitate, et si nostros, ad summum studium beneuolos excitamus, et si hominibus studiosis, gratiosisq. nostri suum cuique munus describimus, & si competitoribus iudicia proponimus, si ex equestribus metum iniicimus, diuifores ratione aliqua coercemus; perfici potest, ut largitio nulla fiat, aut nihil ualeat.

EXPLANATIO

QVARE si aduigilamus. 3 Conclusio huius partis, cum congerie earum rerum, quibus occurrere largitioni, si tantum studij adhibeat, quantum res postulat. hinc amicos excitando, & suum cuique munus distribuendo, inde competitoribus minitendo, & omnes, qui in largitionibus operam praestant, deterrendo. **PRO rei dignitate.** 3 Solon: Quod praeclarum est, accurate agendum. Erat autem haec res maxima, ut dixit in ep. 1. ad Att. **Ἐπειδὴ οὐκ ἐπισημαίον οὐδὲ κοίην** ex Iliad. x. Tale & illud: Pro magnitudine rei celeritatem adhibens. ep. 2. 1. lib. x. Fam. Ideoq. usus est uerbo composito aduigilamus. Vbi, Ad, habet uim auctiuam. Sicut Terent. Phor. act. 1. sc. 4. Tanto magis te aduigilare aequum est. **AD summum studium beneuolos excitamus.** 3 Ut qui nobis tantum bene uolunt, incitentur ad summum studium praestandum. **HOMINIBVS studiosis, gratiosisq. nostri.** 3 Videtur in his uerbis ordo inuersus. Legendum itaque recte monuit Paullus Mannuccius, Gratiosis, studiosisq. nostri. non enim dicimus Gratiosus nostri, sed Studiosus nostri. Sic etiam praepositiue positum fuisse constat Consul & Cenfor. ep. 2. 1. lib. 1. x. Fam. **SVM cuique munus describimus.** 3 Alligamus. Mandamus, quid quemque facere uelimus, & curare. supra: Ut descriptum, ac dispositum suum cuique munus sit. onera descripta multis. pro C. Rabirio Post. **SI competitoribus iudicia proponimus.** 3 Id est, poenam iudiciorum; & fore, ut, si contra leges petierint, in iudicium a nobis uocentur. **SI ex equestribus.** 3 Locus corruptus in omnibus, quem miror non correctum fuisse, cum & mendum cognoscere facile sit, nec difficilis correctio. Est igitur legendum, Si sequestribus. sunt enim Sequestres, apud quos pecunia deponitur, qua corrupta sint suffragia. Ut Alconius in orat. in Verrem. **DIUIFORES ratione aliqua coercemus.** 3 Post Sequestres nominat diuifores. nam apud illos pecunia deponitur a candidato, ab ijs uero populo diuiditur. ideoq. coniunguntur in orat. pro Plancio: Vnam tribum delige, doce per quem sequestrem, quo diuifore corrupta sit. &

fit. & in eadem antea, Sequestrem fuisse, pronunciaffe, diuifisse. *ALTRA ratione.* § Ut pote minis. Ut fecit iam in secunda in Verrem. *AVT nulla fiat.* § Coercitis ijs, a quibus fieri posset. *AVT nihil ualeat.* § Etiam si fiat, cum plus poterit studium amicorum, ut in aedilitatis petitione itidem accidit, nam oppugnatus pecunijs Verris, non tamen deijci aedilitate potuit. ut in 2. orat. in Verrem.

QVINCTVS

HAEC sunt, quae putari non melius scire me, quam te, sed facilius his tuis occupationibus colligere unum in locum posse, & ad te perscripta mittere. Quae tamen etsi ita scripta sunt, ut non ad omnes, qui honores petant, sed ad te proprie, & ad hanc tuam petitionem ualeant, tamen tu, si quid mutandum esse uidebitur, aut omnino tollendum, aut si quid erit praeteritum uelim hoc mihi dicas. Volo enim hoc commentariolum petitionis haberi omni ratione perfectum.

EXPLANATIO

HAEC sunt. § Clausula operis, in qua, ut extrema cum primis connectat, breuiter repetit caussam, cur se ad haec scribenda accinxerit. ipsumque opus a M. Cicerone ita corrigi petit, ut nihil omnino ei ad perfectionem desit. *HAE sunt.* § Delectatur huiusmodi clausulis in fine librorum etiam M. Tull. ut in 3. de Nat. Deorum. Haec fere dicere habui. & in lib. de Senect. & Amicitia, nec non in Oratore ad Brutum. Pulcherrima uero illa in 3. off. Habes a patre manus, Marce fili. *Hi s tuis occupationibus.* § Si ad praescriptum grammaticorum loquendum esset, Iliis tuis dicendum foret. Quod hic ad primam personam, Iste ad secundam referri doceant. sed pluris esse debet antiquorum auctoritas, qui aliter locuti sunt. ut Terent. in Andria act. 3. A me opinionem hanc tuam esse amotam uolo. & Cicero in Epist. lib. 9. fam. Equidem hos tuos Tusculanenses dies. & His tuis factis sic incensus sum. Et hic noster paullo post, Ad hanc tuam petitionem. & supra, Hoc tuo tempore. Occupationes uero intelligit caussarum defensionem, quibus fere semper distinebatur. *VNUM in locum.* § In principio dixerat, Sub uno adspectu ponerentur. & in lib. de claris oratoribus, Vno in conspectu omnia uiderem. *QVAE tamenetsi.* § Ita legendum aliqui affirmant, licet scripti habeant Tamenetsi contractum. alij etiam omittunt illud, Etsi, quorum opinio non placet. Tamenetsi habetur etiam ep. ult. lib. 4. fam. & ep. 17. lib. 5. ad Att. *VT non ad omnes, qui honores.* § Neque enim omnes sunt homines noui, aut oratores, ut M. Cicero. neque omnes tales habent competitores, quales Cicero. ideo Ad te proprie dicit. *TAMEN tu, si quid mutandum.* § Etsi non omnes eo sunt usuri, uolo tamen id omnibus probari. ideoq. omni ratione emendari. Emendatoris autem triplex est munus, ut Quintil. docet. lib. 10. cap. 4. Adijcere, Detrahere, Mutare. Mutare quod minus deceat. Detrahere, quod superuacaneum sit. Demum addere, quod omissum uideatur. Quae omnia aperte hic habes. Tanguntur etiam a M. Tullio in 3. de orat. cum dicit, Quidquid aut addideris, aut mutaueris, aut detraxeris. *VELIM hoc mihi dicas.* § Ut, te monente, corrigi possit. Alias etiam emendari, atque edisuos annales a fratre petijt. ut est ep. 16. lib. 2. ad Att. Sumant autem hinc sibi praeceptum adolescentes, atque adeo omnes, quibus curae est ea scribere, quae, cum in hominum manus peruenerint, legi possint, ut aequo animo ferant sua scripta a doctoribus emendari, cum uideant id praestantissimos uiros factitasse, ut praeter Quintum, ipsum etiam Marcum, qui suarum orationum Aristarchum uocat Atticum, ut faciendum esse docet Horat. in Poet. & qui, quod docuit, etiam re uidetur praestitisse, cum Albius Tibullum sermonum suorum iudicem nominat. Sciant uero nulla in re facilius homines amore sui decipi solere, quam in iudicandis ijs, quae ex suo ingenio pepererint; & ad eruditionem plus proficere amici, & docti hominis diligentem emendationem, quam diuturnum eius studium, qui se emendatori subijcere recuset. Equidem, si quid umquam profeci, quod perexiguum esse non inficior, sed quantulumcuque illud est, profiteor me fidelibus monitis, & doctis correctionibus Francisci Morandi. I. C. debere, cuius cum esset iudicium peracre, & doctrina non uulgaris, tantus erat animi candor, ut dissimulare nihil posset, quod scriptori notam aliquam allaturum suspicaretur. Afficiebatur enim non secus erga aliena scripta, quam si propria fuissent. Idque cum in ceteris, tum praecipue in carminibus praestabat. In quibus, & scribendis, & diiudicandis excellebat. Sed non est mihi propositum huiusce uiri uirtutes describere, quae & per se notae satis sunt, & clarioribus monumentis testatae. Volui tantum doctori optimo, & amico integerrimo, merita etiam in hac parte laudis testimonium reddere. Ad prima redeo. Neque magnos posse in scribendo profectus illum facere, qui turpem putet in scriptis, metu atq. lituram, ut ait Horat. Neque ullos patientis reprehendi, quam qui maxime laudari merentur. ut est apud Plinium lib. 7. epist. *VOLO enim hoc commentariolum.* § Sciant lectores in antiquis libris legi, Volo enim hoc mihi commentariolum. ubi Mihi, ad ornatum insertum suspicaret, ut saepe adud Terentium, M. Tullium, Liuium: nisi imprudenter a librario inculcatum uiderem, ex praecedentibus uerbis, Velim hoc mihi dicas. *COMMENTARIOLUM.* § Nomine ipso indicat, quale sit hoc opusculum, nempe in quo summata capita quaedam rerum sint comprehensa. Hoc enim ualet Commentarium. *OMNI ratione perfectum.* § Ita, ut alijs etiam hominibus in suis petitionibus usui esse possit. & artificiose eo uerbo opus absoluit, quo non perfectio rei solum, sed & finis significatur. Talis est finis libri de somnio Scipionis: Ille discessit, ego somno solutus sum. & lib. 2. de Finib. Finem fecimus & ambulandi, & disputandi. & in 4. de Finib.



Finib. & in 2. de Diuinat. Quaecum essent dicta, discellimus: Quod imitari etiam uoluit, ut alia quattuor plurima, quisquis ille fuit, (nam fuisse Ciceronem mihi non fit uerisimile) qui libellum De consolatione, nostro tempore edidit. Hoc enim sine usus est: Iucundiores congressum nostrum futurum intelligam, quam insuauis, & acerbus digressus fuit. Ac ne hoc quidem tacitum relinquam, Quinctum, suum hoc commentariolum Cretico, & spondeo pede clausisse, quem numerum multum habere decoris, in clausulis dicunt. eoque ita delectatus est M. Tullius, ut non sententias tantum plurimas, sed plurimos etiam ex suis libris, & orationibus eodem numero clausit. Quod quoniam cuius obseruare in promptu est, exemplis adducendis superfedebat.

F I N I S.

EXPLANATIO

I N D E X
R E R V M . E T . V E R B O R V M
L O C V P L E T I S S I M V S

Quae in hoc uolumine continentur.



A



- A** Capite repetere — alte, & a capite repetere 175
ab Ioue Musarum primordia 189
abdicare — consules abdicauerunt 42
abdicare — cum tres partes aues abdidissent &c. 100
aberrant a coniectura qui suspicati sunt, &c. 25
ablegatus tanquam ex 12. tabulis insignis ad deformitatem puer, &c. 210
abnuere — nihil umquam abnuere uoluntas tua meo studio 156
absorbere — ne aestus consuetudinis nos absorbeat 189
absyrtus Medae frater, qui est apud Pacuuium Aegialeus 78
abutens ad omnia Atomorum regno & licentia 16
abuiamur communi consuetudine sermonis, cum ita dicimus, uelle aliquem quippiam, aut nolle sine causa 162
academia uetus, & Zeno, una de re dissentiant 183
academiae proprium est, iudicium suum nullum interponere 150
academiae ueteres principes 180
academici prudenter a rebus incertis assensionem cohibuerunt 1
accessio fit ad corpora & abscessio 225
accessus, discessusq. solis, solstitijs brumisq. 35
accessus & recessus marinarum, aetuum lunae non gubernantur 129
accessus & recessus maritimarum 73
accipio omen, inquit, mea filia 115
accipere calamitatem maximam ob aliquam causam 99
accipere — nullum est animal, quod effugiat accipiendi aliquid extrinsecus, id est quasi ferendi & patiendi necessitatem 74
accusare rem aliquam — sed est iniqua in omni re accusanda praetermissis bonis malorum enumeratio, uiriorumq. selectio 210
accusatores nisi sint uoluntarij, graues esse non possunt 215
acerualis Latine, Sorites Graece 125
Acheron, Cocytus, Styx, Phlegeton non sunt dij 76
Achillem Astypalea insula maxime colit 78
acies, qua cernimus, quae pupilla uocatur 63
acilius — iuris interpres 202
acredula triste carmen interdum canit 96
actio non potest esse uehemens, nec oratio, nisi est ipse animus commotior 110
actio — ope consilioq. tuo factum aio factum esse 83
acumen — auspicium ex acuminibus totum militare est: quod totum M. Marcellus ille, qui quies consul fuit, omisit 137
acutiora sunt eorum ingenia, & ad intelligendum aptiora, qui terras incolunt eas, quam illorum qui utantur crasso caelo, atque concreto 41
ad perpendicularum rectis lineis feruntur deorsum corpora indiuidua 162
adaequare uitam deorum possint 225
adduxit in ordinem ex inordinato 220
adducito eos in spem 276
adducendi in hanc opinionem 266
adductum ramulum, ut remissus est, in oculum recidisse 120
adhibere calumniam — nec ullam adhibebat calumniam 163
adhibere coniecturam — qui somnia interpretantur, coniecturam adhibent, non naturam 150
adhibere omnem rationem & curam & laborem & diligentiam 260
adiectae uoce — ne abiectae uoces laborentur, atque errarent, priusquam ab his sensibus pulsus esset 64
aditus pateant ad te diurni, atque nocturni 16
adiumenta causarum 458
adiungere atque inuitare homines ad amicitiam 268
adiungere non debemus ullam auctoritatem, nec fidem commenticij rebus 144
adiungere sibi aliquem — ut nobis Cn. Pompeium adiungere-mus 276
adiungi facile ad amicitiam 273
adiunctio animi, uel uoluntatis 264
adiuuare — quae rerum adiuuant causam 273
adminicula — uites adminicula clauiculis, tamquam manibus apprehendunt 59
adnunciate rostrorum cibum arripiunt quaedam animalia 59
Aeacidarum genus, solidum. — Bellipotentis sunt magis, quam sapientipotentis 145
aedificator mundi deus 219
aediles curatores urbis, annonae, ludorumq. sollemnium 212
Aegibi libido, aut Paridis 88
aegri non debent a coniectore somniorum medicinam petere 146
aegris datur salus ab Hippocrate potius, quam ab Aesculapio 88
aegritudo morsum doloris efficit 105

Oo Aegy-